

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam  
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann  
Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617789**

Caput CLXIV. Christus Parabolam De Talentis Apostolis Suis Proponit.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18162**

& parati simus. Indulgentiam DEUS nobis promisit, sed in hac vita, non in futura demum petendam. Indulgentiam nobis promisit, sed diem castitum nemo nobis promisit, inquit idem in Psalm. 101. cum quo congruit illud Gregorii hom. 12. in Evangel. *Qui penitenti veniam spondit, peccandi diem non promisit.* Vigilemus igitur ac tales nos semper præstemus, quales in hora mortis & in die iudicii inveniri cupimus: Insonent auribus & cordibus nostris fraternæ admonitiones Christi Luc. 12. v. 35. *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes v. 36. & vos similes sitis hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis Apoc. 3. v. 2. Esto vigilans v. 3. Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies, quâ horâ veniam ad te.* v. 10. *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit*

*vocem meam & aperuerit januam, intrabo ad illum & cenabo cum illo & ipse mecum.* In Papatu moribundos oleo unguunt & candelam certis ritibus consecratam in manus ipsis tradunt. Sed Christus hoc loco aliud oleum nobis monstrat, quo lampades nostræ fovendæ, oleum scilicet verbi, oleum fidei & oleum Spiritus sancti ac alias lucernas nobis monstrat, quas gestare debeamus, ut in hora mortis & iudicii parati inveniamur, videlicet lucernas veræ fidei, sinceræ pietatis, prudentiæ, vigilantia &c. absque quibus externum oleum & cereæ candelæ, quamvis illud exorcisatum sit & hæc consecrata, nihil quicquam proderunt.

*Fulgeat assidue fidei clarissima lampas,  
Neve oleum desit, fac, bone Christe, precor.*

## CAPUT CLXIV.

CHRISTUS PARABOLAM DE TALENTIS  
APOSTOLIS SUIS PROPONIT.

MATTH. 25. v. 14.

## RATIO ORDINIS.

**P**arabolæ de decem virginibus immediato & in divulso nexu subjungendam esse parabolam de talentis, ostendit particula ἀποδοσκήν. *Vigilate itaq;.* Sicut enim homo peregrinatus proficiscens &c. Quem admodum enim particula illativa ostendit, exhortationem Christi ad vigilantiam esse conclusionem parabolæ sequentis de decem virginibus, ita particula ratiocinativa ostendit, eandem esse propositionem parabolæ præsentis de talentis. Neque quidquam apud reliquos Evangelistas occurrit, quod interferi debeat, cum solus Matthæus parabolam in cap. 25. enumeratas proposuerit. Unicum est, quod scrupulum alicui moveri possit. Lucas cap. 19. recitat parabolam de decem minis totidem servis ab homine quodam nobili commissis, quæ cum præsentem videtur esse eadem. Quare cum ex Luca manifestum sit, parabolam illam à Christo fuisse propositam, antequam Hierosolymam abiret & regium suam ingressum celebraret, dicendum videtur, Matthæum per recapitulationem huic loco parabolam de talentis inferere, quam Lucas ordinis observator in propria sede recenseat. Hanc sententiam amplectitur Maldonatus sequentibus nixus argumentis. 1. *Non videtur verosimile, Christum tam brevi temporis intervallo bis eandem parabolam diversis verbis proposuisse.* 2. *Hieronymus in cap. 24. Matth. & Ambrosius in cap. 29. Lucæ unam esse statuunt parabolam.* 3. *Non potest dari efficax ratio, quæ contrarium suadeat. Quamvis enim Evangelistæ in quibusdam circumstantiis parabolæ dissentire videantur, ex eo tamen nondum potest probari, quod sint diversæ parabolæ, quia illi, quibus invicem dissentiri videntur, non Christi verba, sed totius parabolæ scopum explicare volue-*

*runt, qui utroq; idem, ac verosimile est, Mattheum potius, quam Lucam verba Christi formaliter retulisse, tum quia præsens ipsemet fuerat, tum quia distinctius omnia enarrat; forte etiam Lucas, quia Christus regnum calorum decem virginibus comparaverat, eundem numerum in hac parabola usurpare voluit.* Sed hæc omnia nondum evincunt, unam eandemque à Matthæo & Luca describi parabolam. Chrysostomus homil. 79. in Matth. disertis verbis statuit, diversas esse. *εἰς τὴν Λυκά ἐτέρας κείμεναι, ἢ τῆς παραβολῆς ἐκείνης λεκτέον, ὅτι ἀλλήλων καὶ ἐτέρα ἐκείνη.* Augustin. in lib. de conf. Evang. non laborat de conciliatione circumstantiarum utriusque parabolæ, studium illud haud prætermittitur, si eandem iudicasset. Hieronym. & Ambrosius conferunt invicem utramque parabolam, sed ex eo inferri nequit, quod statuerint eandem esse, possumus enim conferre, quæ sunt similia, licet non sint omnino eadem, quæ affinitatem invicem habent, licet non identitatem, quinimò Hieronymus lib. 2. contra Jovian. utramque adducens unam alteri similem, non autem prorsus eandem esse dicit. Quod enim parabola Lucæ de minis non sit eadem cum parabola Matthæi de talentis, evidenter ostendit diversitas. 1. *temporis.* Parabolam de minis proposuit Christus, antequam asinâ vectus Hierosolymam fuit ingressus, ut ex serie Historiæ apud Lucam manifestum; parabolam verò de talentis proposuit die post ingressum tertio, ut ex serie Historiæ apud Matthæum constat, à quâ temporis serie verbis tam disertis ab Evangelistis annotata sine urgente necessitate non est discedendum. 2. *loci.* Parabolam de minis proposuit Christus, cum jam ipso actu proficisceretur Hierosolymam Luc. 19.

v. 11. & 28. parabolam de talentis cum sederet in monte oliveti. Matth. 24. v. 3. *3. objecti.* Parabolam de minis proposuit non solum Apostolis, sed omnibus, qui erant in ipsius comitatu; parabolam de talentis solum Apostolis. *4. occasionis & scopi.* Parabolæ de minis hæc fuit occasio. Dixerat Christus ad Zachæum cupidè desiderantem ipsum videre. *Hodie sabbatum domui huic facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahe* Luc. 19. v. 9. *Venit enim Filius hominis querere & salvum facere, quod perierat* vers. 10. Illud plerique ex astantibus intellexerunt de salute corporali, quod recuperare velint oppida & castra Judaica in potestate Romanorum redacta & ab eorum jugo populum Judaicum liberare, persuasi enim erant, Messiam fore Regem terrenum ac mundanum. Quia ergo ex omnibus circumstantiis intelligebant, Christum jamjam solenni & regiâ pompâ Hierosolymam Judææ metropolin ingressurum, ex eo inferebant, propediem Hierosolymis, quò tendebat, securam plenam manifestationem mundani & gloriosi illius regni, in quo libertatem, honores, divitias & omnis generis terrenam felicitatem sibi obventuram sperabant. Tales enim fuisse ipsorum cogitationes manifestè ostendit Lucas. *Hæc, inquit, illis audientibus adjiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem & quia existimabant, quod confestim regnum Dei manifestaretur.* v. 11. Christus igitur falsæ isti opinioni occurrere voluit per parabolam de minis, in qua seipsum comparat homini nobili in regionem longinquam proficiscenti, ut accipiat sibi regnum, ac servis suis ante discessum certas quasdam argenti minas distribuenti, quibus interim negotientur, donec redeat. Ostendit igitur, tempus manifestandi gloriam regni sui nondum adesse, sed futurum, ut multa adhuc eveniant, antequam illud manifestetur. Existimabant astantes, ipsum Hierosolymis regnum suum mox inchoaturum, sed in hac de minis parabola docet, se abiturum in regionem longinquam. Sperabant, se in regno Messiae terrenam felicitatem & quietem habituros, sed prædicit multos labores ob spiritualem negotiationem in eo ipsis esse tolerandos. Persuasi erant, omnes præsertim verò Judæos certatim ad regnum Messiae convolaturus ac summa voluntate se ei subjecturos, sed aliam fore in hoc mundo regni sui sortem ostendit. *Cives autem ejus, inquit, oderant eum & miserunt legationem post eum dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.* vers. 14. Scopus igitur parabolæ apud Lucam est, quod Christus falsam opinionem de terreno Messiae regno ex animis auditorum eadem voluerit evellere. (Ambros. lib. 9. in Luc. aliam profert connexionis rationem. *Bonus ordo, inquit, ut vocaturus gentes & Judæos iussurus interfici, qui noluerunt regnare supra se Christum, hanc præmitteret comparisonem, ne diceretur, nil dederat populo Judæorum, unde poterat fieri melior? ut quid ab eo, qui nihil recepit, exigitur?*) Sed præsentis parabolæ apud Matthæum longè alius est scopus, videlicet quod per eandem Apostolos ad vigilantiam & diligentiam in administrando commissio sibi munere excitare voluerit, ut intelligitur ex particula. *¶*, per quam exhortationi ad vigilantiam hæc parabola connectitur. Inde est, quod partem illam parabolæ de civibus imperium Regis sui

refusantibus Matthæus prorsus prætermittit. Id quidem cum Luca commune habet, quod dives aliquis Dominus peregrè profectus ante abitum pecuniam suam servis distribuerit, ut, per eam negotiantur, sed quod subditi illius absentia abusi jugum ejus excutere voluerint, illud Matthæus non addit, unde etiam non dicit, divitem illum Dominum regni acquirendi causa in regionem longinquam abiisse, sed simpliciter homini peregrè proficiscenti ipsum comparat. *s. materia.* Qui pecuniam servis distribuit, apud Lucam, confertur homini nobili à Regis filio abeunti ad apprehendendam regni sui possessionem; apud Matthæum verò homini patri-familias, unde etiam fideles & industrii servi apud Lucam præficiuntur civitatibus, qualem honorem Reges solent distribuere, apud Matthæum constituantur super bona Domini sui, quod etiam privata personæ servis suis præstare possunt. Lucas introducit decem servos, Matthæus tantum tres. Apud Lucam distribuuntur *mine*, apud Matthæum *talenta*. Unum verò talentum plures continet minas, Atticum quidem 60. Hebraicum v. 100. Lucas singulis decem servis singulas minas; Matthæus uni ex tribus servis quinque talenta, alteri duo, tertio unum distributum asserit. Apud Lucam primus servus una mina alias decem, secundus quinque lucrificat, apud Matthæum primus quinque talentis alia quinque, secundus duobus talentis altera duo acquirit. Apud Lucam ignavus servus minam *ligat in sudario*, est enim centesima pars talenti, ideo sudario convenienter alligari potest, apud Matthæum talentum *in terram defodit*, quia non potuisset illud satis commodè sudario involvi. Apud Lucam non omnes servi quibus pecunia ad negotiandum data, redeunt in Domini sui conspectum, *prætermittuntur enim septem, qui quasi prodigi debitorum, quam acceperant pecuniam, perdiderunt*, ut loquitur Ambros. in c. 19. Luc. per quos intelliguntur, qui donis Dei turpiter abusi fuere, quos ne quidem conspectu & alloquio judex dignabitur. Apud Matthæum verò omnes, quibus distributa erant talenta ad rationes vocantur. Hæc omnia evidenter probant, parabolam de minis à Luca enarratam diversam esse à præsentis de talentis parabola. Nec ulli cordato facile persuadebitur, Lucam à verbis Christi in tot membris discessisse ac scopum duntaxat respexisse, cum ipsum quoque scopum utroqueq; diversum esse jam antè sit demonstratum. Potest autem hic ordo, quo parabolæ de decem virginibus præfens parabola de talentis apud Matthæum subjungitur, de multis utiliter monere. 1. Scopus præcedentis parabolæ est, docente ipso met Christo, quod debeamus vigilare. Ad eundem scopum etiam præfens parabola est directæ, ut ostendit particula *¶*. Hoc enim vult Christus dicere. Ut semper vigiletis, etiam hoc vos permovere debet, quod in die adventus mei regnum Dei itidem simile erit servis, qui ad rationes de commissis fidei suæ talentis reddendas vocantur. Si enim agatur in novissimo die, sicut si homo peregrè proficiscens servis suis distribuat diversa talenta & postmodum rediens ab omnibus rationes negotiationis exigat. Vestrum igitur est, vos tales præstare, quales seduli & industrii servi in negotiatione sese præstiterunt &c. 2. Ad vigilantiam inter cætera etiam pertinet diligentia in laboribus

bus vocationis ac rectè utendis Dei donis, quæ ad Ecclesiæ utilitatem & certorum officiorum administrationem nobis largitus est. Rectè igitur reperitur ad vigilantiam exhortationi subjungitur hæc parabola, quæ nos docet, quomodo ad diem iudicii fideliter negotiando, strenuè laborando & rem Domini sedulo procurando nobis preparare debeamus, ac exemplo ignavi servi à gaudio Domini exclusi in tenebras abjecti præmonet nos, ne dormiamus aut torpescamus, id est, ne simus otiosi & inutiles servi, ne eadem cum ipso fortem experiamur, contra verò exemplo fidelium servorum super bona multa constitutorum & in gaudium Domini admittendorum excitat nos, ut vigilemus & laboremus, id est, ut in demandato nobis officio strenuè nos exerceamus, ac donis Dei rectè utamur ad ipsius scilicet gloriam & proximi salutem, ut eorundem præmiorum cum fidelibus servis participes reddamur. Qui ignavus ac deses est, somnolentus Dromoni comparatur; qui diligens & industrius, vigilare dicitur, meritò igitur ignavi servi dormientibus, industrii verò vigilantibus in hac parabola comparantur. 3. Dixerat Christus inter decem illas virgines, quibus regnum celorum comparaverat, quinque habuisse oleum in vasis suis, reliquas verò quinque eo fuisse destitutas, proinde etiam lampades earum in adventu sponsi postmodum fuisse extinctas. Hic ergo explicat, quinam intelligantur per virgines lampadibus clarè fulgentibus instructas, videlicet illi, qui talentis sibi concreditis strenuè negotiantur, qui ex fide bene operantur & donis Dei rectè utuntur; quinam etiam per virgines, quarum lampades propter olei defectum extinguuntur, nobis adumbrentur, videlicet illi, qui talentum suum in terram abscondunt, qui non utuntur donis Dei juxta ipsius voluntatem, unde postea in fine parabolæ dicuntur *non habentes*. Lampas fulgens est talentum usui datum, lampas extincta talentum otiosum & in terram absconditum. Autur operis imperf. homil. 53. in Matth. *Iste qui sedit talentum suum, similis est virginibus fatuis, que habentes lampades oleum non habebant. Tam enim illæ quam istæ putaverunt sibi ad salutem hoc solum, quod in Christum credebant (de fide gloriabantur) posse sufficere.* 4. Sicut in præcedente parabola virgines prudentes lampadibus lucentibus instructæ cum sponso *intrant ad nuptias*, id est, in locum conviviij nuptialis, qui solet esse locus gaudij & lætitiæ: sic fideles servi *intrant in gaudium Domini*, id est, in locum gaudij plenum, ut ejusdem gaudij cum Domino, sicut virgines prudentes cum sponso, sint participes. Vicissim sicut virgines fatuæ excluduntur à nuptialis gaudij consortio & janua coram ipsis occluditur: sic inutiles servi talento privantur & in tenebras eiciuntur. 5. In præcedente parabola verè fidei rationem habendam esse, docemur, eamque oleo, id est, meditatione verbi & piis precibus quotidie esse fovendam, ne ipsius lux extinguatur; in hac verò monemur, fidem in exercitio dilectionis & bonorum operum esse demonstrandam, ut pro ratione vocationis salutari & sedulo donorum a Deo nobis concessorum usu proximo servare, eundemq; Deo lucrifacere conemur. Sic ergo in præcedente parabola docemur, quomodo nos erga Christum sponsum nostrum gerere debeamus, videlicet ut ardente fide ipsius adventum expecte-

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda

mus, inque occursum ei procedere gestiamus, in hac verò, quomodo nos erga proximum gerere debeamus, videlicet ut *quemadmodum quisque accipit donum, ita alius in alium illud subministret, ut boni dispensatores variè gratiæ Dei* 1. Petr. 4. vers. 10. Chryostomus homil. 79. in Matt. & hoc addit, *quod præcedens parabola agat de eleemosyna, que cum pecunia conficitur, hæc verò generaliter omnes respiciat, qui nec pecuniâ, nec verbo, nec quovis alio modo proximis conferunt, sed omnia retinent.* Sed quid de hac hypothesi, quia per oleum eleemosyna intelligitur, statuendum sit, suo loco diximus. 6. Potest etiam talis dari connexio. Vigilate, quia regnum Dei simile est homini peregrè proficiscenti, qui servis suis ad se vocatis bona sua distribuit, hoc est, Quia Deus ex gratiâ unicuique peculiaris dona distribuit, ideo vigilantia opus est, ut quisque vestrum donis à Deo sibi datis rectè utatur, ut acceptam à Deo gratiam diligentia excolat & studio benefaciendi ac proximo inserviendi exerceat, ne *in vacuum eam accepisset* dicatur 2. Corinth. 6. v. 1. non instar fatuarum virginum inanes & oleo vacuas lampades in iudicium secum afferat, sed plenas fide & fructibus fidei præstitis in vocatione ad gloriam Dei, ædificationem Ecclesiæ & salutem proximi. 7. In proximè præcedente parabola facta est mentio *virginum*, quæ ex more apud Judæos recepto fuere, comites ac sociæ sponsæ obviam sponso procedentes, quando venturus erat ad ædes sponsæ deducturus eam in locum nuptiarum. In hac parabola mentio fit *servorum*, quibus paterfamilias distribuat sua talenta, per quos juxta priorum veterum explicationem præcipuè intelliguntur Ecclesiæ Doctores, quibus docendi munus commissum. Janæ verò illi aliis conferuntur *amicis ac sociis sponsi* Joh. 3. vers. 29. qui *sponsam*, id est, Ecclesiam sibi adducunt, 2. Cor. 11. vers. 2. Optimo igitur ordine præfens parabola præcedenti subnectitur. 8. in prima parabola de servis, quibus paterfamilias *ἐξ οικίας* ante professionem suam dederat, dicitur inter cætera Marc. 13. v. 34. *dedit unicuique opus suum.* Id ipsum in hac parabola latius à Christo explicatur, quod uni dantur *quinque talenta*, alteri *duo*, tertio *unum*, id est, quod & officia in Ecclesia sint varia & dona inæqualia, ab omnibus tamen æqualiter requiri fidelitatem, vigilantiam, industriam ac prudentiam. 9. In prima parabola bonæ frugis servum vocat *πρωτον υγιον Φρονιμον*, in secunda ostendit, in quo *prudentia*; in hac tertia, in quo *fidelitas* consistat, videlicet ut lucrum Domini sui quærat, unde dicitur *ei, Euge serve fidelis.* 10. In prima parabola de servo malo & infideli percutiente consertos & comessante cum ebriis docet Christus in die iudicii damnandos esse omnes manifestè impios, qui manifestis & notoriis delictis securè indulserunt. In secunda parabola de fatuis virginibus docet, non omnes, qui sunt in externa Ecclesiæ societate, esse salvandos, cum inter eos multi sunt hypocritæ, verbis quidem fidem profitentes & externam pietatis speciem habentes, atque interim verâ fide & internâ pietate vacui. In hac tertiâ parabolâ docet, ne quidem Apostolicos viros, id est, Ecclesiæ doctores omnes esse salvandos, nisi officio suo rectè fungantur & talento sibi commissio multum spiritualis lucri acquirant quia teste Justino in Dial. cum Tryph. Clemente Alexandrino lib. 1. Stromat. Origene tractat. 33. in

B b b b

Matth.

Matth. Chryfostomo homil. 41. in Genef. Ambrosio in c. 19. Luc. Hieronymo, Bedâ, Euthymio & Theophyl. in h. l. per servos in hac parabola præcipuè intelliguntur Ecclesie Doctores, quibus divina & casta Dei eloquia quibusvis auri & argenti talentis preciosiora sunt concredita, intelliguntur. Inter hos mul-

tos esse servos inutiles, quos Apostolos vocat ἀδύνατοι. Cor. 9. v. 27. ostendit exemplum Judæ, qui ratione exterioræ professionis & conversationis fuit adhuc Collegii Apostolici membrum, quando Christus Apostolis suis hanc parabolam in monte oliveti proposuit.

PARABOLA CHRISTI DE TALENTIS INTER SERVOS DISTRIBUTIS.

MATTH. 25.

- 14. Ὡςπερ ῥῶδ' ἄνθρωπος ὁδοδημῶν ἐκέλευσε τοῦ ἰδίου δούλου καὶ παρέδωκεν αὐτοῖς τὰ ὑπόρχοντα αὐτοῦ.
- 15. Καὶ ὁ μὶν ἔδωκε πέντε τάλαντα, ὁ δὲ δύο, ὁ δὲ ἓν ἐκάστω καὶ τὴν ἰδίαν δύναμιν, καὶ ἀπέδημῆσεν εὐθείως.
- 16. Προσέθεις ἡ ὁ τὰ πέντε τάλαντα λαβὼν, ἐργάσατο ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐποίησεν ἄλλα πέντε τάλαντα.
- 17. Ὡσαύτως καὶ ὁ τὰ δύο, ἐκέρδησε καὶ αὐτὸς ἄλλα δύο.
- 18. Ὁ δὲ ἓν λαβὼν, ἀπελθὼν ὤρυξεν ἐν τῇ γῆ καὶ ἀπέκρυψε τὸ ἀργύριον ἔκρυψε αὐτῷ.
- 19. Μετὰ ἡ ἡσέρον πολλοὶ ἐρχέσθαι ὁ κύριος τὰ δούλων ἐκείνων, καὶ συναίρει μετ' αὐτῶν λόγον.
- 20. Καὶ προσελθὼν ὁ τὰ πέντε τάλαντα λαβὼν, προσήνευκέν ἄλλα πέντε τάλαντα, λέγων, κύριε, πέντε τάλαντα μοι παρέδωκας, ἴδε ἄλλα πέντε τάλαντα ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς.
- 21. Ἐφη ἡ αὐτῷ ὁ κύριος αὐτῷ. Εὖ δούλε ἀγαθὲ καὶ πιστῷ, ὅτι ὀλίγης ἦς πίστις, ὅτι πολλῶν σε καταστήσω, εἰσελθε εἰς τὴν χαρὰν ἔκρυψε σε.
- 22. Προσελθὼν ἡ ὁ τὰ δύο τάλαντα λαβὼν, εἶπε, κύριε, δύο τάλαντα μοι παρέδωκας, ἴδε ἄλλα δύο τάλαντα ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς.
- 23. Ἐφη αὐτῷ ὁ κύριος αὐτῷ. Εὖ δούλε ἀγαθὲ καὶ πιστῷ, ὅτι ὀλίγης ἦς πίστις, ὅτι πολλῶν σε καταστήσω, εἰσελθε εἰς τὴν χαρὰν ἔκρυψε σε.
- 24. Προσελθὼν ἡ ὁ ἓν τάλαντον εὐληφώς, εἶπε, κύριε, ἐγνων σε, ὅτι σκληρὸς εἶ ἄνθρωπος, θερίζων ὅπου σὺκ ἐσπειρας, καὶ συνάγων ὅθεν ἔδισκόρπισας.
- 25. Καὶ φοβηθεὶς ἀπελθὼν ἐκρυψε τὰ τάλαντά σου ἐν τῇ γῆ, ἴδε ἐχέεις τὸ σὸν.
- 26. Ἀπεκρίθη ἡ ὁ κύριος αὐτῷ εἶπεν αὐτῷ, Πονηρὸς δούλε καὶ ἀκηρὸς, ἦδεις ὅτι θερίζω ὅπου σὺκ ἐσπειρας, καὶ συνάγω ὅθεν ἔδισκόρπισας.
- 27. Ἐδίδεν σε βαλεῖν τὸ δρογῆριον μετὰ τοῖς θραπέζις καὶ ἐλθὼν ἐγὼ ἐκομισάμην αὐτὸ ἐμὸν σὺν τοῖς.
- 28. Ἄρατε ἐν ἀπ' αὐτῷ τὰ τάλαντα, καὶ δότε τῷ ἔχοντι τὰ δέκα τάλαντα.
- 29. Τῷ δὲ ἔχοντι πέντε δοθήσεται, καὶ περισσώθησεται, τῷ δὲ μὴ ἔχοντι, καὶ ὃ ἔχει, ἀρῆσεται ἀπ' αὐτοῦ.
- 30. Καὶ τοὶ ἄχρηστον δούλων ἐμβαλέτε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.

- 14. Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit suos servos, & tradidit illis bona sua.
- 15. Et huic quidem dedit quinq; talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuiq; secundum propriam facultatem, & profectus est statim.
- 16. Abiit autem, qui quinq; talenta acceperat, operatus est in eis & confecit altera quinq; talenta.
- 17. Similiter & qui duo (acceperat) lucratus est & ipse altera duo.
- 18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram abscondit pecuniam domini sui.
- 19. Post multum verò temporis venit dominus servorum illorum & ponit cum eis rationem.
- 20. Et accedens is, qui quinq; talenta acceperat, attulit altera quinq; talenta, dicens. Domine quinq; talenta mihi tradidisti, ecce altera quinq; talenta lucratus sum per ea.
- 21. Ait autem illi Dominus ejus. Euge serve bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.
- 22. Accedens autem & qui duo talenta acceperat, ait. Domine, duo talenta mihi tradidisti, ecce alia duo lucratus sum per ea.
- 23. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.
- 24. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait. Domine, noverum te, quod durus sis homo, metens ubi non seminasti, & inde congregans, ubi non sparsisti.
- 25. Ac terribus abii, abscondi q; talentum tuum in terra: ecce habes, quod tuum est.
- 26. Respondens autem Dominus ejus dixit ei: Male serve & piger, sciebas, quod metam, ubi non seminavi, & congregem illinc, ubi non sparsi.
- 27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam mensariis, & veniens ego recepissem utiq; quod meum est, cum usura.
- 28. Tollite itaq; ab eo talentum & date ei, qui habet decem talenta.
- 29. Habenti enim omni dabitur, & abundabit: qui verò non habet, etiam id, quod habet, auferetur ab eo.
- 30. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.

Exegetis hujus Parabola.

Gen. 2. v. 15. de Adamo primo totius humani generis parente commemoratur, quod DEUS creator ipsum introduxerit in hortum Eden, ut cole-

ret & custodires illum, ac v. 17. additur, quod præcepit ei, ne ex arbore scientiæ boni & mali comederet. Varia & eximia Deus in Adamum contulerat dona

dona creaverat ipsum ad imaginem suam in iustitia & sanctitate veni Gen. 1. v. 27. Eph. 4. v. 24. intruxerat ipsum perfectis animi & corporis viribus, introduxerat in domicilium pulcherrimum &c. sed noluit eum esse otiosum, verum exercere dona à Deo creatore suo sibi concessa, proinde quia hominem animam & corpore constantem fecerat, ideo quoque animam & corpori certum imponere voluit officium. Corpore officium consistebat in horti Paradisi cultum & custodia, quarum neutra in statu innocentia fuisset homini molesta, sed jucunda; spirituale in sancta obœdientia præcepto de non comedendo arboris vitæ fructu præstanda, quæ itidem homini fuisset facilissima, si in concreata integritate permanisset. *Levis fuisset in tanta copia unius arboris continentia, si non desuisset continentia dux benevolentia,* ait Rupertus lib. 2. de operibus Trinitat. cap. 50. Pari ratione Deus nobiscum agit. Quamvis enim propter voluntariam præcepti illius primævi transgressionem & spontaneam à Deo creatore aversionem primus homo & omnes ejus posterii iusto Dei iudicio à Paradiso sunt expulsi Gen. 3. v. 23. tamen Deus ex immensa bonitate alium in terris plantavit Paradisum, videlicet Ecclesiam, in eam nos introducit per verbum & Baptismum, recipit nos per fidem in gratiam, ac quia Baptismus est *lavacrum non solum regenerationis sed etiam renovationis, in Spiritu sancto,* inde confert nobis variâ Spiritus sancti charismata, quem effundit in nos opulenter Tit. 3. v. 6. non autem vult nos esse otiosos, sed præcipit, ut Paradisum spirituale colamus, id est, ut donis ex gratia nobis concessis ad Ecclesiæ utilitatem & proximi salutem utamur, utque dona nobis data sollicitè custodiamus. Non enim sufficit bene agere, sed requiritur, ut bona, quæ habemus & agimus, magnâ diligentia custodiamus, ne eadem perdamus vel mala agendo vel de bonis superbè nos efferendo. *Perit omne, quod agitur, si non sollicitè in humilitate custodiatur,* inquit Greg. lib. 10. moral. cap. 13. Non custodiuntur dona Dei, in terram ea defodiendo, sed eadem excolendo & exercendo, *signatiam DEI non in vacuum accipiamus* 2. Cor. 6. v. 1. sed velut *boni ejus dispensatores* ad proximi utilitatem eam utamur 1. Petr. 4. v. 10. Ad hunc scopum præfens parabola de talentis unice spectat, in qua dives aliquis paterfamilias bona sua servis distribuere introducit, non ut illa abscondant, vel otiosa apud se afferent, sed ut illis negotientur & domino suo lucrum acquirant, id quod largissimis ipse compensabit præmiis.

Possent hujus, perinde ut præcedentis pericopes, tres statui partes, utpote 1. *αὐτὸς ὁ δόλος*. 2. *ὁ δόλος*. 3. *ὁ πῦρ*. Sed quia *αὐτὸς ὁ δόλος* duntaxat per particulam *ἕως, αὐτὸς ὁ δόλος* positam, *ὁ πῦρ* per *αὐτὸς ὁ δόλος* ad rem per parabolam significatam declinantem, ibi erit *sternus ac stridor dentium*, insinuat, ideo rectè ad ipsius parabole distributionem accessum faciemus, ejusque tres partes docendi causâ constituemus, quæ tamen facili negotio ab illis, qui *διχοπομῆς* delectantur, ad duas, videlicet ad talentorum inter servos distributionem & exactam ab iis de distributis talentis rationem revocari poterunt. In prima parte describitur *patris familias talenta inter servos distribuentis benignitas; In secunda servorum, qui talenta acceperunt, disparitas; In tertia eventus inequalitas.*

*Benignitas Patris familias talenta inter servos distribuentis*  
Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

tribuentis describitur v. 14. & 15. *Sicut enim homo peregrè proficiscens vocavit suos servos &c.* De particula connexiva *καὶ* diximus jam antè in ratione ordinis. In verbis *καὶ* &c. esse *καὶ ἀντιπροσδοκῶν*, quale etiam Marc. 13. v. 34. occurrit, primo statim intuitu manifestum. Sic ergo complendus est sermo ellipticus. *Vigilate, quoniam nescitis diem neque horam, in qua Filius hominis venit.* Ita enim is ager in die adventus sui, sicut homo, qui ante abitum suum bona sua inter servos distribuit, ut per illa negotientur, ac in reditu suo rationem ab illis exigit. Vel, Idem aut simile quid tunc accidet in regno cælorum, sicut homo peregrè proficiscens vocavit servos &c. Vel, ita enim est, ut cum quispiam peregrè proficiscens &c. his namque ac similibus modis ejusmodi ellipses compleri possunt. Origenes quidem monet, propterea non esse redditionem sermonis ita conscriptam. *Sicut homo peregrinans, sic & Jesus, aut ita, sic & filius hominis, quoniam ipse est, qui in parabola proponitur peregrinans quasi homo.* Sed Christus non est ille ipse homo, qui talenta servis distribuisse dicitur, sed per illum tantum præfiguratur. Occurrunt autem in hac prima parte distributionem talentorum inter servos distribuente sequentia membra. 1. *Quis distribuere.* Christus eum vocat *ἀδελφόν*, quod posset quidem accipi pro relativo *his* hoc sensu. *Quidam peregrè proficiscens vocavit servos.* Sed quia in simili parabola Luc. 19. v. 12. conjunguntur hæc duo vocabula *ἀδελφόν* & *his* & quia per hunc hominem intelligitur *Filius hominis*, id est, Christus Jesus iudex omnium à Deo Patre constitutus, ejus in versu proxime præcedente fit mentio, ideo rectius in genuina & propria significatione nomen hominis accipitur. Ideo verò Christus homini sese comparat, tum quia in personæ unitate non tantum est verus Deus, sed etiam verus homo, tum quia est *φιλάδελφος*, delitie ipsius esse cum filiis hominum Prov. 8. v. 31. tum quia in distributione donorum humanum & benignum se erga nos demonstrat, de quorum donorum distributione in præfente parabola agitur. Syrus reddidit per *בְּרַבְרָא* quod proprie significat hominem viribus seu robore ac potentiâ seu autoritate prævalentem quod pulchrè accommodari potest ad Christum, qui est, *foris heros, gigas geminæ substantiæ* Ps. 19. v. 6. Pl. 45. 4. Es. 9. 6. Notandum verò, quod Matthæus illum ipsum, quem hic vocat hominem, paulò post in descriptione extremi iudicii appellet Regem v. 34. quia nondum occupaverat regnum gloriæ. Et quia de tali homine hic sermo est, qui inter servos bona sua distribuit, ex eo intelligitur, quod de homine patrefamilias hic agatur. Illud itidem verè competit Christo hominis filio Is enim est *Dominus spiritualis domus Dei* Hebr. 3. v. 9. quæ est Ecclesie 1. Tim. 3. v. 15. constitutus à Patre *ἐπίσκοπος*, ut mercedem servis in hac domo distribuatur Matth. 20. v. 8. In simili parabola Luc. 12. versic. 12. additur, quod hic patrefamilias fuerit *homo ἄριστος nobilis*, quod Syrus reddidit *בְּרַבְרָא חֵרֵד* heros aliquis ample cognitionis, id est, ortus genere claro. Verè & eximie nobilis est Christus non solum ratione generis, sed etiam ratione virtutis, potentiæ, formæ, divitiarum, rerum præclare gestarum, adeoque respectu eorum omnium ex quibus nobilitas parari vel æstimari inter homines confuevit. Ratione divitiarum

tura nobilissimus est, quia natus est ab æterno à Patre, qui est Rex Regum & Dominus dominantium. 1. Tim. 6. v. 15. ratione humanæ Naturæ itidem nobilissimus est, quia natus ex regia tribu Juda Gen. 49. v. 10. Heb. 7. v. 14. Apoc. 5. v. 5. Basilius in cap. 13. Esa. Dominus non ob solam divinitatem agnoscere debet propter eam, quam in semetipso possidet suapte Naturâ, puritatem & sinceritatem, nec ulla ex parte confusam mixtionem, sed & secundum humanum genus omnino generosus est per assumptionem carnis ex semine Davidis. Verè igitur est heros amplæ cognitionis, quia Naturâ propinquitatem Deum & homines attingit. Quòd si ex virtute nobilitatem æstimare velimus, ipse est lucidissimum speculum & vivum exemplar omnium virtutum, sanctitas ipsi non collata, sed innata Luc. 1. v. 36. si ex potentia, ipsi data est omnis potestas in cælo & in terra. Matth. 28. v. 18. si ex forma, ipse est longè formosissimus filiorum hominum Pl. 45. v. 3. si ex divitiis, ipse est omnium ditissimus 2. Cor. 8. v. 9. si ex rebus præclare gestis, ipse totam infernalium hostium phalangem devicit, & subditos regni sui ex eorum Tyrannide gloriosissimi liberavit. Col. 2. v. 15. Peculiari verò ratione Christus etiam ideo est & vocatur nobilis, quia conceptus est à Spiritu sancto & ex immaculata virgine natus, in qua nec virginitas impedit fœcunditatem, nec fœcunditas sustulit virginitatem. De tali nobilitate nullus Regum vel principum in his terris gloriari potest, omnes enim nascuntur in peccatis & secundum communem Naturâ cursum, sicut autor libri Sapientiæ in persona Salomonis Regis nobilissimi dicit cap. 7. v. 1. I. sum & ego mortalis homo, similis omnibus & ex genere terreno illius, qui prior factus est &c. v. 5. nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. v. 6. unus introitus est omnibus ad vitam. Est & hoc peculiare in nobilitate Christi, quod suam nobilitatem nobilitatem, cum sit nobis à Deo factus sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio 1. Corinth. 1. v. 30. facit nos Patris sui cœlestis filios, donat nobis suam iustitiam, distribuit regni cœlestis hereditatem, sicque in arctissimum nobilitatis suæ consortium nos recipit, quod per fictionem quandam juris in terrena nobilitate fieri potest, non autem verè vel re ipsâ. Notat Aristoteles in Rhetor. ἐν ἄλλοις per metaphoram vocari etiam μεγαλοπρεπείς καὶ ἠθοναίους magnanimos, strenuos ac generosos, quod ipsum quoque Christo competit, qui magno animi robore hostes suos aggressus gloriosum ex illis triumphum retulit. 2. Quando distribuerit. Sicut homo δοσδημῶν vocavit servos suos, id est, ante professionem peregrè susceptam, & postea, dedit unicuique secundum propriam facultatem καὶ ἀποδομήσεν ἐν θεῷ. Introducitur ergo in hac parabola paterfamilias negotiorum suorum causâ peregrè proficiscens, sed immediatè professionem servis bona sua distribuens, ut ipso peregrè absente ex illis interim negotientur, δοσδημῶν significat & peregrè abire & peregrè abesse, hic verò in priore significatione accipi, apparet ex addita particula ἐν θεῷ. Ergo præfens δοσδημῶν ponitur pro paulò post futuro, cum iamjam esset peregrè profecturus, vocavit prius suos servos. Per hanc δοσδημῶν plerique Interpretes designari statuunt Christi in cœlos ascensionem, quæ tunc in propinquo erat, cum Christus Apostolis suis hanc parabolam proponeret. Orig. tract 33. in Matt.

Secundum divinitatis suæ Naturam non peregrinatur, sed peregrinatur secundum dispensationem corporis quod suscepit. Aut imperf. operis homil. 53. Homo peregrè profectus Christus est post victoriam passionis ad Patrem iturus. Commendat autem dilectionem suam, quam habet in sanctis. Ad regna enim cœlestia ascensurus & ad Patrem suum iturus unde descenderat, peregrè se iturum dicit, propter caritatem sanctorum, quos relinquebat in terris, cum magis peregrè esset in mundo. Hanc rationem propter quam Christi in cœlos ascensio peregrinationi comparatur, magis probamus, quam eam, quæ à Gregorio homil. 9. in Evang. & Beda in cap. 19. Luc. adducitur. Quis est homo, inquit, qui peregrè proficiscitur, nisi saluator noster, qui in eâ carne, quam assumpsit, in cœlum ascendit. Carnis namq. locus propriè est terra, quæ quasi ad peregrinationem ducitur, dum per redemptorem nostram in cœlum collocatur. Atqui quando Christus in cœlum ascendit, non amplius habuit mortale & calamitatibus obnoxium corpus, qualia sunt nostra in his terris corpora, sed immortale & glorificatum corpus. Jam verò proprius locus (utiano sensu sic loquar) corporum glorificatorum est cœlum, in quo æternas mansiones habebunt sancti, qui in hac vita peregrinantur. Quamvis verò non improbemus per hanc peregrinationem intelligi Christi in cœlos ascensionem, non tamen possumus nec debemus probare, quod Calviniani ex eo colligunt, Christum secundum humanam Naturam non amplius nobis esse præsentem vel in Ecclesia vel in Eucharistia. Quamquam enim Christus non amplius eo modo in terris nobiscum versetur, quo modo ante suam passionem & resurrectionem fuit cum discipulis conversatus, videlicet visibiliter & in carne mortali, tamen cum ascensionem immediatè secuta fuerit sessio ad Dei dextram, per quam universale & omnipræfens in cœlo ac terra dominum secundum eandem Naturam, juxta quam in cœlum ascendit, ipsi fuerit collatum, ideo adhuc in medio nostrum versatur, & erit nobiscum usque ad consummationem sæculi, juxta infallibilem suam promissionem Matth. 18. vers. 20. c. 28. vers. 20. interim quia præsentia illa non incurrit in sensus externos, ac quia Christus non per modum aliquem huius sæculi, sed modo divini & incomprehensibili nobis præfens est, ideo hoc respectu per ascensionem suam peregrè quasi profectus dici potest. In parabola de vinea ingratu agricolis elocata etiam Pater cœlestis peregrè profectus dicitur Matth. 21. v. 33. Marc. 12. vers. 1. Luc. 20. v. 9. ecquis verò ex eo inferre velit vel possit, ipsum non amplius Ecclesiæ suæ præsentem esse? Id tam evidens est, ut Wolfgangus Musculus Calvinii partibus aliqui addictus agnoscat imbecillitatem argumenti, quod ex hac vocula pro ἀπείρεια Christi hominis altruenda formatur. Sic enim commentatur in h. l. Non est urgenda peregrinationis dictio in hac parabola. Neque enim Christus ad Patrem profectus ad loca peregrina concessit, neque hinc abiens nos deseruit. Ut nihil dicam de eo, quod ex parabolis non possint duci firma & apodictica in fidei articulis argumenta, nisi Scriptura ipsa explicationem & applicationem perspicuis dictis confirmet, quibus hac in parte defuiti adversarios alibi demonstratur. Quamvis verò, uti dictum, non refragemur, quò minus per hanc Christi profectioem ipsius in cœlos ascensio intelli-

intelligatur, tamen cum in parabola modo citata de elocatione vineæ etiam cœlestis Pater homini peregrè abeunt comparatur, cumque non solum ante suam ascensionem, sed etiam ac vel maximè post suam in cœlos ascensionem Christus bona sua servis suis distribuerit & adhuc distribuatur, ideò quaerendæ etiam sunt aliæ rationes, propter quas tempore negotiationis, quo servi ex traditis sibi talentis lucrari debent, peregrè abesse dicatur. Chrysostomus homil. 79. in Matth. putat, Christum peregrinandi verbo resurrectionem civitatis, id procul dubio intelligendum de ascensione resurrectionem proximè insecuta, cum resurrectio etiam vocari videatur ascensio Mich. 2. vers. 13. Johan. 20. vers. 17. ibidem addit, designari per hanc perfectionem Christi *μακροθύμια*. *Perfice* (inquit) *ubi, non confestim sed longo tempore interjecto exigentem.* Sic enim etiam vinea agricolis data peregrinatus est & nunc credito dato recessit, ut longanimitatem ejus facilius cognoscamus. Eandem rationem affert Theophylactus in cap. 25. Matth. *Peregre proficisci dicitur, qui propter nos factus est homo CHRISTUS, vel secundum quod ascendit in caelis, vel secundum quod longanimis est & non statim exigit opus, sed expectat.* Dicitur igitur peregrinari, quia non nisi longo post ascensionem tempore rediturus erat, ac si multorum annorum peregrinationem accepisset, quo sensu etiam accipi potest, quod Luc. 19. vers. 12. *eis χωρὴν μακρὰν* abiisse, id est, multo tempore peregrè abuisse dicitur, quod contingere solet iis, qui in regionem procul distantem iter suscipiunt, nam loci distantia nihil vel parum, temporis vero longinquitas multum ad rem per parabolam significatam pertinebat, quippe quæ hic paterfamilias fervorum suorum fidem & diligentiam explorare voluit. Quod si omnino etiam ad ascensionem in cœlos illud *eis χωρὴν μακρὰν* referre velimus, de status potius, quam loci distantia accipiendum erit, ut apparet ex Coloss. 3. v. 1. in quem locum sic commentatur August. lib. 83. quæstion. q. 29. *Ea, que sursum sunt, sapere jubemur, spiritualia scilicet, que non locis & partibus hujus mundi sursum esse intelligenda sunt, sed merito excellenti sue, ne ejus mundi partibus figamus animum nostrum, quo universo nos debemus exacerare.* Ac Bucerus ipse agnoscit, *Scripturam caelos, in quos Christus ascendit, non nisi majestate & virtute designare, non locorum intercapedinibus, ac clarè attestari, eos in cor hominis non ascendisse.* Possunt etiam aliæ dari causæ, propter quas Christus proficiscenti & peregrè absentem in hac parabola comparatur. 1. Quamvis ipse nobis præsens sit, nos tamen, dum in corpore sumus, ab ipso peregrinamur, cum per fidem ambulemus non per speciem 2. Corinth. 5. v. 6. & 7. quando verò de corpore peregrinamur, tunc præsentem sumus ad Dominum v. 8. Orig. tract. 33. in Matth. *Nihil contrarium, cum ipsum Jesum secundum quendam quidem intellectum esse ubiq, secundum alium autem peregrinari. Si enim nos, dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino in omnibus, qui sunt in corpore & peregrinantur à Domino, peregrinantur ab eis & Dominus per fidem ambulans, non per speciem. Si autem peregrinantes à corpore, cum Domino fuerimus, & ipse tunc erit nobiscum & pro eo, quod per fidem ambulavimus, ut & per speciem posita ambulemus.* 2. Quamvis ipse nobis præ-

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

sens sit, tamen invisibiliter nobis præsens est, unde peregrinanti dicitur similis. Ambrosius in cap. 10. Luc. *Licet ubiq, sis & stans in medio nostram non cernaris à nobis, erit tamen tempus, quando universa caro te aspiciet revertentem.* 3. Quamvis ipse ad dextram Dei sedens in cœlo ac terra præsentissimè & potentissimè dominetur, tamen nondum videmus illi omnia esse subiecta Heb. 2. v. 8. nondum omnes suos & Ecclesiæ hostes fecit scabellum pedum suorum Pl. 110. v. 2. 1. Cor. 15. v. 25. nondum manifesta est ejus majestas, necdum apparuerit, quod sit Rex & judex totius mundi. Per sceptrum verbi sui in cordibus hominum regnat, sed modus ille regnandi est absconditus. 4. Quando Ecclesiam suam in hac vita cruci premi sinit ac hostium libidini quasi exponit, videtur à nobis peregrè abesse & longe recessisse. Plal. 13. v. 2. Ela. 54. v. 7. &c. 5. Similitudine peregrinationis & quidem in terram longinquam susceptæ occurrere voluit præconceptæ discipulorum opinioni de terreno Messia regno, ut colligitur ex Luc. 19. v. 11. Existimabant illi, regnum Messia jamjam Hierosolymis esse manifestandum, sed ipse dicit, sibi in regionem longinquam adhuc proficiscendum esse, h. e. non ita brevi gloriam regni sui manifestandam. 6. Dicitur à nobis peregrè abesse, qui per novas spirituales vires ex gratia datas sinit nos operari, ac si abesset, cum tamen sit præsentissimus ac sine ipso nihil possumus facere Joh. 15. v. 5. Hilar. can. 27. in Matt. *Peregrinationis tempus penitentiæ spacium est, quo in caelis à dextris Dei assidens, potestatem universo generi humano fidei atq, operationis Evangelicæ permisit.* 7. Plato in Apol. dicit *Ἰησοῦν* esse *οἶον* *δοσθησῶν* *εἰς* *αἴθρον* *τόπων*. Possit igitur hæc peregrinatio etiam de morte Christi exponi. Confer, quæ dicta sunt in cap. 152. Harm. in parabola de vinea ingratis agricolis elocata. Colligitur autem ex hac circumstantia temporis hanc parabolam præcipuè pertinere ad Apostolos & Apostolicos viros, quibus Christus ante suam in cœlos ascensionem docendi munus commendavit & donis ad illud necessariis eos instruxit, quia disertè additur, quod postquam hic Dominus servis talenta distribuerit, statim peregrè abierit. Neque tamen hoc ita accipiendum, quasi tantum ad illos, quos modò nominavimus, pertineat, quia quæ Christus Apostoli dixit, ea in persona ipsorum omnibus dixit Marc. 13. v. 37. ac ubi idem officium, ibi quoque eadem admonitio gerentibus illud officium proposita locum habet, unde etiam alias præter ascensionem Dominicam commemoravimus causas, propter quas Christus peregrinanti & peregrè absentem comparatur, quarum quædam omnibus Ecclesiæ temporibus locum habent. Proinde quod Apostolus dicit, ex Pl. 68. v. 19. *Christum in altum ascendentem & captivam ducentem captivitatem dedisse dona hominibus* Ephel. 4. v. 8. hoc est, dedisse quosdam Apostolos, quosdam verò Prophetas, alios verò Evangelistas v. 11. illud non est accipiendum exclusive, quasi illo solum tempore, quod ascensionem præcessit & proximè insecutum est, doctores Ecclesiæ donis necessariis instruxerit sed inclusive, quod non solum tunc, verum etiam postea & quidem toto illo tempore, quod inter ascensionem & novissimum ipsius ad judicium reditum interjectum, quo in caelis agens peregrè à nobis abesse videtur, Ecclesiæ de idoneis doctoribus prospiciat, unde disertè addit Apostolus, quod non solum de-

Bbbb 3 deric



derit Ecclesiæ suæ Apostolos, Prophetas & Evangelistas, sed etiam pastores & doctores, quorum munus non est temporarium, ut priorum, qui in primitiva Ecclesia Apostolica tantummodo locum habuerunt, sed perpetuum v. 11. subjungit etiam, dari Ecclesiæ doctores & pastores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in edificationem corporis Christi, v. 12. ergo quamdiu adhuc corpus Christi mysticum ædificandum, tamdiu quoque durat illa datio pastorum & doctorum, id est, usque ad diem novissimum. Quod autem de doctoribus Ecclesiæ dictum, illud suo modo etiam ad omnes fideles pertinet, ad quos itidem hæc parabola accommodari potest, ut postea ostendemus. Christus non solum ante suam ascensionem & proximè post eam fidelibus dedit S.S. charismata, sed adhuc hodie eadem opulenti distribuit &c. 3. Quibus distribuerit. Vocavit servos suos & tradidit illis bona sua. Priusquam peregrè abiret, ex aduersis vocavit ad se servos, convocavit domesticos suos, illisque bona sua tradidit. Per servos 1. quidam in genere intelligunt omnes homines Hieron. in cap. 16. Ezech. Secundum tropologiam omnis anima accipit à Deo pecuniam spiritualem, juxta illud Evangelii de talentis &c. Probari posset hæc interpretatio ex eo 1. quod omnes homines jure creationis, conservationis, sustentationis & gubernationis sint Dei ac proinde etiã Christi servi. 2. quod totus mundus sit Dei domus quam cœlestis ille paterfamilias gubernat & omnia in ea administrat, quicunque ergo ad hanc Dei domum pertinent, sunt Dei servi. Liran. in cap. 21. Matth. Deus dicitur paterfamilias, quia sic gubernat totam creaturam, sicut paterfamilias gubernat subditos in domo. 3. quod nullus sit ex omnibus hominibus, qui non aliquod talentum à Deo acceperit, si nullum aliud, certè rationem, qua à bestiis distinguitur & qua ad agnitionem creatoris sui rectè uti debet. 4. quia omnes homines in die novissimo sistentur coram tribunali Christi & ab omnibus exigetur ratio de acceptis talentis. Quàm latè igitur patet exigenda de talentis ratio, tam latè quoque videtur patere talentorum inter servos distributio & per consequens nomine servorum omnes omnino homines intelliguntur. Sanè non inviti concedimus, posse hanc parabolam certà ratione etiam accommodari iis, qui sunt extra Ecclesiam, adeoq; omnibus omnino hominibus, cum ipsimet gentiles in die judicii futuri sint inexcusabiles, quod talentum quidem à Deo acceperint, sed in terram illud defoderint, h. e. quod cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverint aut gratias egerint &c. Rom. 1. 20. & 21. interim tamen Christus in hac parabola propriè & principaliter non agit de illis, qui sunt extra Ecclesiam, sed qui sunt in Ecclesia, in externa sc. ejus societate 1. Nam quod in præcedentis parabolæ initio dicitur. Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, illud etiam hic repetendum & ad præsentem etiam parabolam, quippe priori illi per particulam & connexam accommodari debet. Ergo etiam in hac de talentis parabola agitur de regno cœlorum, id est, de Ecclesia & illis, qui ad Ecclesiæ societatem pertinent. 2. Servos illos, quibus talenta distribuit, paterfamilias dicitur vocasse. Verbum illud vocandi deducit nos ad vocationem per verbum & ad Ecclesiam ex eo sic dictam, quod per prædicationem verbi è genere humano evocetur & colliga-

tur. Dicuntur ergo illi, de quibus parabola agit, servi non tantum respectu creationis, sed etiam respectu vocationis ad Ecclesiam. 3. Dicitur paterfamilias unicuique servorum bona sua distribuisse & illi idem dicitur secundum propriam facultatem, illam dicitur si non aliunde certè ex dono creationis servi habuerunt, ergo hic propriè agitur de beneficiis non ex opere creationis, sed ex opere redemptionis & sanctificationis ad homines descendantibus, cum dicitur illa ipsis ante talentorum distributionem tribui videatur. 2. Pleriq; veterum nomine servorum intelligunt Apostolos, viros Apostolicos & eorum, in docendi munere successores, i. e. omnes Ecclesiæ doctores, qui acceperunt à Christo dispensationem eloquiorum Dei, ut loquitur Orig. in h. l. quibus concedita sunt divina & casta eloquia. Probat hęc interpretatio 1. quia ut parabolam de minis Luc. 19. 12. Christus in genere omnibus suis auditoribus & promiscuè turbæ proposuit, ita hanc ascensionem in specie & peculiariter proposuit Apostolis, cum in monte Oliveti sedens ad eos seorsim loqueretur. 2. Quia Apostolos peculiariter ad se vocavit, iisq; docendi ministerium ante suam in cœlos ascensionem commisit Matt. 10. v. 1. c. 28. v. 20. Marc. 3. v. 12. c. 16. v. 15. &c. Reliquos etiam Ecclesiæ doctores Apostolorum in docendi munere successores adhuc hodie vocat, non solum in Ecclesiæ consortio, quæ vocatio ipsis cum omnibus Christianis communis est, sed etiam ad Ecclesiasticum ministerium. 3. Doctores Ecclesiæ peculiari quadam ratione & vocati dicitur Christi Rom. 15. 16. 1. Cor. 3. 5. c. 4. 1. 2. Cor. 11. 23. Col. 1. 7. &c. 3. Primariò igitur ac principaliter nomine servorum hic intelliguntur Ecclesiæ ministri, ad quos præcipuè hæc parabola spectat, interim secundariò & minus principaliter servorum nomine omnes Christiani ad Ecclesiæ consortium vocati & fidem in Christum profitentes intelligi & ad eos etiam hæc parabola accommodari potest, omnes enim illi sunt Dei servi, esse certè debent Rom. 6. 12. omnes vocati sunt vocatione sancta, Timot. 1. 9. omnibus distribuit Deus certa quædam talenta. omnium est dona à Deo accepta ad Dei honorem & proximi salutem dispensare. Theophilus Antiochenus lib. 1. allegor. Servi sunt omnes Christiani, omnibus enim talentum aliquod dedit h. e. gratiam, quâ negotiarentur. Quidam illud probant ex eo, quod hæc parabola de talentis sit eadem cum parabola de minis apud Lucam, quam Christus omnibus auditoribus suis proposuit. Ergo ut illa, ita quoque hæc præfens generalis est, sed diversas esse has parabolam ostendimus superius. Colligitur autem ex hoc loco 1. quod nemo sine vocatione docendi manus aggredi debeat, cum vocatio & distributio talentorum hic conjunguntur Jerem. 23. v. 21. Rom. 10. 15. Heb. 5. 4. &c. 2. quod Christus eos, quos vel ad Ecclesiasticum ministerium vel Ecclesiæ consortium vocat, non esse otiosos, sed sedulo laborare, servorum enim est operari, non otiosi. Matt. 20. v. 1. operarios conducit in vineam. 3. quia dicitur suos servos vocasse, ergo omnes homines etiam ante suam in Ecclesiam vocationem sunt Christi servi, non tantum jure creationis, sed etiam jure redemptionis. 1. Cor. 8. v. 6. &c. 4. quia omnes sumus Christi servi, ergo ipsi in vitæ sanctitate servire debemus, non autem mundo nos conformare vel carni indulgere. Luc. 1. v. 75. 2. Cor. 5. v. 15. &c.

4. *Quid distribuerit.* Hoc exponitur in genere, quod tradiderit illis τὰ ὑποχρεωθέντα ἔργα suas facultates, suam substantiam, non quidem totam, quia Dominus bonorum suorum magnis sumptibus ad iter necessarios semet instruxit, sed partem substantiæ sive bonorum. Syrus habet vocem תנן quæ in genere significat possessionem, divitias in omni re præter pecuniam. 2. in specie, quod tradiderit illis τάλαντα. In parabola consimili Luc. 19. v. 12. μίνας sive minas illis tradidisse dicitur, hic verò talenta. Budæus in lib. de asse ex Polluce, Vitruvio & aliis autoribus demonstrat, diversa fuisse olim talentorum genera, ut Hebraicum, Ægyptiacum, Babylonicum, Atticum, Euboicum, Siculum, Ægineticum; aliud etiam fuisse talentum nummarium, aliud ponderale; aliud auri, aliud argenti &c. Christus procul dubio hic agit de talento Hebraico, כספן ipsi dicto, quod teste R. D. Kimchi in libr. radd. continebat 60. libras auri vel argenti Exod. 25. v. 39. & cap. 37. v. 24. de candelabro sacro dicitur, quod pondus ejus fuerit talentum auri puri. Illud Josephus lib. 3. antiq. c. 10. sic explicat. Ex adverso mense propius meridianum parietem situm erat candelabrum ex auro fusili, sed non solido, pondus minarum centum. Hoc pondus Hebræi Cinchares (Ciccar) Græci talentum suâ lingua nominant. Ergo talentum complexum fuit centum minas. Hoc verò intelligendum de talento sacro sive sanctuarii. Nam & apud Hebræos erat duplex talentum sacrum & Prophanum, ut colligitur ex addito ἑσθδιοισμοῦ Ex. 38. v. 24. juxta solum sanctuarii. Ut ergo siclus fuit duplex, videl. communis & sanctuarii, ita quoque fuit duplex talentum. Ut siclus communis fuit dimidium sicli facri, ita quoque talentum commune seu profanum fuit dimidium talenti sacri. Schindlerus in Lexico in voce כספן statuit, talentum sacrum continuisse 120. prophanum v. 60. כספן sive minas scil. Atticas, minam 25. siclos ac proinde talentum sacrum 3000. profanum 1500. siclos continuisse, quod colligitur ex Exod. 38. v. 25. Eadem est sententia Munsteri in c. 35. Exod. Quod ergo Josephus dicit, talentum continere centum minas, illud vel de alio minarum genere, quam de Atticis accipiendum, vel per rotundationem numeri explicandum, quod Josephus majorem tantum numerum prætermisso minore expresserit. Ex. 2. Paral. 25. v. 6. colligi potest, uno argenti talento mille robustos colligi potuisse, quia centum talentis centum millia robustorum ab Amalia dicuntur conducta. Quicquid sit, sive de sacro sive de profano, sive de auri, sive argenti, sive de nummario sive ponderali talento parabola accipitur, illud certum est, significari preciosam & ingentem auri vel argenti massam, quam paterfamilias servis suis ante abitum tradiderit, ut per eam negotiarentur. Quid verò per hæc bona & talenta in sensu mystico intelligendum sit, de eo plurimum variant Interpretum sententia. 1. Ambrosius in cap. 19. Luc. talentum rationem esse dicit, que ad imaginem & similitudinem Dei data est nobis. Eam enim qui diligenter excolit dignus videtur, ut plura illi talenta committantur, id est, ut ejus Naturæ gratia superaddatur, qui verò eam studio voluptatis obruit & tanquam in fovea carnis abscondit, eandem cum malo & ignavo servo sortem experietur. In eandem sententiam propendet Hieronymus in cap. 25. Matt. Sed ostendimus superius, Christum de illis tantum, qui sunt in Ecclesia, in hac parabola agere, jam verò

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

naturalis ratio omnibus hominibus communis est. Ac facile posset in sensum Pelagianum trahi, quod gratia detur illis, qui rationem diligenter excolunt. 2. Quia igitur jam antè monuimus, hanc parabolam præcipue ad Apostolos & eorum in officio docendi successores pertinere, idè Justinus in Dial. cum Tryph. Origenes, Hilarius, Theophylactus in h. l. per talenta intelligunt sancta & casta Dei eloquia desiderabilia super aurum & super obrizum multum Psal. 19. vers. 11. verbum scilicet Evangelii margaritæ comparatum Matth. 13. v. 46. quod exponendum & populo prædicandum Ecclesiæ doctoribus committitur. Eadem sententia probatur B. Luthero in notis marginalibus h. l. Quamvis verò inter talenta servis concedita diversitas quædam statuatur, quod in ipso Evangelio omnibus Ecclesiæ doctoribus communiter tradito, non videtur habere locum, rectè tamen monet Lutherus, unum idemque Dei verbis diversis conferri talentis, quia qui illud diligenter tractat, plurimum; qui verò remisse, minus ex eo lucratur. 3. Quidam per hæc talenta intelligunt dona Spiritus sancti administrantia, quæ Ecclesiæ ministris ad ædificationem Ecclesiæ dantur. Scholastici eam vocant gratias gratis datas, de quibus Apostolus 1. Cor. 12. v. 4. sic differit. Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus v. 5. Divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus v. 6. Divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. v. 7. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. v. 8. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, secundum eundem Spiritum. v. 9. Alteri fides in eodem Spiritu, alteri χάρισμα & sanationum in eodem Spiritu, v. 10. Alii operatio virtutum, alii verò Prophetia, alii vero discretio Spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio linguarum. v. 11. Hæc autem omnia operatur unus & idem Spiritus. 4. Quidam exponunt de diversis officiis Ecclesiasticis. Apostolatu, Episcopatu, Presbyteratu, Diaconatu &c. quæ interpretatio congruit cum loco Apostolico Eph. 4. v. 8. ascendens in altum dedit dona hominibus v. 11. & ipse dedit quosdam quidem Apostolos; quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores & doctores. Ac cum præcedente optimè conjungi potest, cum ex diversitate quorundam donorum oriatur diversitas officiorum in Ecclesia 1. Cor. 12. v. 28. Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundò Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde χάρισμα & sanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. v. 29. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes Virtutes? v. 30. Nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? Congruit etiam hæc explicatio cum parabolæ complemento. Christus enim in cælos ascensurus ac visibilem suam præsentiam Ecclesiæ subtracturus, contulit in servos suos B. Apostolos varia dona, commisit illis docendi ministerium, dedit autoritatem prædicandi Evangelium in toto terrarum orbe apud omnes gentes, instruxit eos dono miraculorum edendorum, quibus Evangelii doctrinam confirmarent, tribuit eis potestatem remittendi ac retinendi peccata, insufflavit eos dicens, accipite Spiritum sanctum, aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas, dedit eis mandatum administrandi Baptisumum &c. Matt. 28, 19. Marc. 16, 15. Luc. 24. v. 45. Joh. 20, 22.

Bbbb 4 & 23.

& 23. &c. non longè post ascensionem effudit in eos S. S. ac dedit eis donum linguarum, Act. 2. 2. dedit Ecclesiæ suæ Apostolos, Prophetas, Evangelistas, doctores & pastores, postea per suos Apostolos instituit quosdam Episcopos, quosdam Diaconos, 1. Tim. 3. v. 2. & 8. Tit. 1. v. 7. quæ omnia Christus *ἐδωκεν* hic complectitur, quando dicit, patrem familias peregrè abeuntem bona sua inter servos distribuisse. Ostendimus enim superiùs, circumstantiam illam profectiois non esse accipiendam *exclusivè*, quasi tantùm antesquam in cælos ascensionem Ecclesiæ de idoneis doctoribus prospexerit, ac donis necessariis eos instruxerit, postea verò illud facere desierit, sed *inclusivè*, ut continuâ temporum serie usq; ad novissimum suum reditum idiplum facere intelligatur. Quia verò iam ante demonstravimus, *secundariò & minùs principaliter* ad omnes omninò fideles hanc parabolam applicari posse, idè per talenta servis concredita haud absurdè intelligi possunt quævis dona ex divina benigne Ecclesiæ membris concessa, quibus ad Dei gloriam & proximi salutem uti debent. Basilius in regul. brevioribus inter. 253. *Talentum significat qualibet Dei dona, siquidem nemo est, qui expers sit benignitatis Dei.* Chrysolomus hom. 79. in Mat. *Talenta hic pro eo, quod unusquisque facere potest, accipimus, sive auctoritate protegere, sive pecuniis juvare, sive doctrinâ admonere, sive aliâ quâpiam re proximis prodesse queas.* Augustin. l. 2. ad Simplicianum q. 1. *Non aliquid aliud intelligitur talentum, quam munus aliquod divinum.* Hæc enim dona gratiæ (*χαρισμοί*) ex eo dicta sunt bona & divitiæ Christi, quas preciosissimo suo sanguine & perfectissimâ obedientiâ suâ fidelibus promeruit, quasq; membris suis quotidie elargitur, nec tamen earum communicatione pauperior redditur, vel exhauritur, sed semper plus retinet, quàm distribuit, cum *acceperit Spiritum sine mensura* Joh. 3. v. 34. cumq; ex plenitudine suâ aliis communicet Joh. 1. v. 16. 6. Cumq; charismata illa sint duorum generum, quædam enim sunt *dona administrantia*, quæ sunt dona quædam pecularia ad Ecclesiæ ædificationem certis tantum personis data, piis & hypocritis in Ecclesia communia, Scholasticis *gratia gratis data* vocata, qualia sunt sapientia, scientia, fides, donum Prophetiæ, gratia sanitatum, operatio virtutum, discretio Spirituum, interpretatio sermonum, donum linguarum &c. quædam verò sunt *dona sanctificantia*, quæ sunt dona Spiritus S. omnibus verè piis communia & necessaria, scholasticis *gratia gratum facientes* dicta (minùs tamen commode, cum gratia gratos nos faciens nulla sit alia, quàm gratuitus Dei favor propter Christum fide apprehensum in gratiam nos recipiens Eph. 1. v. 4. cum quicquid est in nobis bonarum qualitatum & virtutum, id totum ad *gratiam gratis datam*, non ad *gratiam gratum facientem* pertineat, cum inutiles nos servos esse fateri cogamur, etiamsi omnia fecerimus, ac proinde gratia gratum faciens non possit in nobis quæri, cumq; non per inherentem aliquem iustitiæ habitum, sed per solam Christi iustitiâ fide apprehensam nobisq; imputatam nos Deo gratos reddi Scriptura testetur) qualia sunt, vera & salvifica fides, spes, caritas, timor Dei, adeoq; omnia quæ ad renovationem sive novum hominem pertinent, inde porrò quæritur, an talentorum nomine alterutra ex his an verò utraque intelligenda? Sanè

principaliter & propriè agit parabola de *donis ministrantibus*, ut apparet ex dictis Apostolicis 1. Cor. 15. v. 10. *gratia Dei in me non fuit remota, sed abundantius omnibus laboravi.* Eph. 4. v. 7. *unusquisque nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* 1. Timoth. 4. vers. 14. *noli negligere gratiam, que in te est &c.* 2. Timoth. 1. v. 6. *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, que in te est per impositionem manuum* 1. Petr. 4. v. 10. *Unusquisque vestrum sicut accepit *χαρισμοί*, ita alius in alium illud subministret, sicut boni dispensatores *ποικίλης χάριτος* multiformis gratiæ Dei, quæ dicta dubio procul ex scopo hujus parabolæ sunt deducta. Secundariò & minùs propriè accommodari potest ad *dona sanctificantia* omnibus piis communia, quia etiam hæc dona exerceri debent, non autem in terram defodi, unde Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 2. per hæc talenta *gratiam sine merito datam* intelligendam etiam asserit, quò pertinent exhortationes Apostolicæ. 2. Corinth. 6. vers. 1. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Hebr. 12. vers. 15. *Videte, ne quis desit gratiæ Dei.* Neque tamen ex eo, quòd dona tùm ministrantia tùm sanctificantia talento conferuntur, cum Pontificiùs inferri potest vel debet, quòd merito operum nostrorum vitam æternam mercari ac lucrari possimus, cum talento auri preciosissima quæque comparari ac grandia lucra acquiri possint. Nam, 1. *Theologia Symbolica non est argumentativa*, nec possunt ex parabolis firma peti argumenta, nisi ipse Spiritus sanctus in aliis perspicuis dictis explicationem & applicationem monstrat. 2. jam verò tota Scriptura testatur, *vitam æternam non esse operum nostrorum meritum, sed gratuitum Dei in Christo donum.* Rom. 6. vers. 23. cap. 8. vers. 18. &c. 3. Quamvis igitur DEUS legitimis donorum suorum usum præmiis temporalibus & æternis remuneretur, tamen præmia illa non ex merito, sed ex gratuita benignitate obtingunt. 4. Id quòd in hac ipsa parabola Christus docet, qui enim *duo tantum talenta* lucratus erat, idem accipit præmium cum eo, qui quinque *talenta* lucratus erat. Ergò in distributione præmiorum Deus non respicit dignitatem vel meritum operum, sed juxta promissionem suam gratis remuneratur obedientiam sibi præstitam, quæ est observatio Prosperi libr. 1. de vocat. gent. cap. 17. ex parabola de operariis in vinea petita. *Ideo (inquit) datur idem præmium, eademque merces omnibus operariis, sive multum sive parum laboraverint, ut ii, qui multo labore sudarunt, nec amplius quàm novissimi acceperunt, intelligant donum se gratiæ, non operum accepisse mercedem (debitam sc. & propriè sic dictam)* 5. Proinde in hac spirituali negotiatione peculiaris quædam emtio ab emtionibus hujus seculi longissimè remota locum habet, de qua Es. 57. v. 1. dicitur. *Omnes sitientes venite ad aquas & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite, venite, emite absque argento & absque ulla communicatione vinum & lac &c.* 6. Nec debet extendi parabolæ applicatio ultra comparisonis tertium. Illud verò in eo consistit, quòd sicut paterfamilias servos per talenta sibi concredita lucrum Domini promoventes, in consortium gaudii vocat, ita Deus ex gratiâ verum & salutarem donorum suorum usum ad nominis divini gloriam & Ecclesiæ ædificationem directum largissimè sit remuneraturus; nequaquam verò*

verò in eo, quod sicut talentum est precium emtionis ac medium lucri, ita quoque bona opera sint merita vel media, quibus vitæ æternæ hereditas emi queat. 7. Aliæ enim dari possunt causæ, propter quas dona Dei comparantur talentis, videlicet primò propter *exuberantem datoris benignitatem*; Eset profectò eximia & singularis benignitas, si paterfamilias aliquis uni servulorum quinq; talenta auri concrederet, quæ juxta nostram monetam ad minimum tria millia aureorum conficiunt. Sed longè major est Christi Salvatoris benignitas, qui spiritualia & cœlestia dona omnibus mundi thesauris, nedum quinque talentis digniora nobis ex gratia communicat. Secundò propter *donorum pretiositatem*. Nihil in hoc mundo preciosius æstimatur, quàm auri & argenti talenta, sed dona fidelibus à Christo collata, sunt longè preciosiora. Quanto cœlum præstantius est terræ, aurum luto, tantò præstantiora sunt dona spiritualia omnibus terrenis divitiis. Ps. 19. v. 11. Ps. 119. v. 72. Tertiò propter *donorum utilitatem*. Quem admodum talenta magnò usui esse possunt illis, qui ad negotiationem eis utuntur: sic qui donis divinitus sibi concessis rectè utuntur, præmiis temporalibus & æternis à Deo afficiuntur, ubi tamen semper notandum, quod verus donorum usus non sit causa meritoria illorum præmiorum, sed pertineat ad descriptionem subjecti, h. e. non exprimitur causa, propter quam Deus præmia largiatur, sed objectum, quibus Deus præmia largiri velit, quodque præmia illa dicantur merces *secundum gratiam*, non autem *secundum justitiæ debitum*. Psal. 127. v. 4. Matth. 6. v. 1. Luc. 6. v. 32. Rom. 4. v. 4. Col. 3. v. 24. Ambros. lib. 1. Epist. 1. *Alia est merces liberalitatis & gratiæ, aliud virtutis stipendium*. Lyran in cap. 10. Matth. *Gloria cœlestis non propriè dicitur merces, sed tantummodo largè, in quantum omne, quod redditur in præmium laboris, dicitur merces*. Ratio autem hujus est, quia hereditas distinguitur à mercede propriè dicta, sicut filius, cui debetur hereditas, distinguitur ab operario conductitio, cui debetur merces, gloria autem cœlestis redditur fidelibus sicut hereditas liberis, propter quod non habet rationem mercedis. Quò etiam pertinet distinctio Lutheri in l. de serv. arbit. tom. 3. Lat. p. 192. Verbum mercedis de præmiis bonorum operum usurpatum respicit *sequelam*, non autem *dignitatem meriti*. 8. Quinimò inverti potest argumentum ex hac parabola ductum. Negotiatio non est meritum lucri, sed honestum lucrum ex benedictione Dei descendit, ut patet exemplo eorum, qui strenuè negotiantur, atque interim nihil vel parum lucrantur: sic incomparabiliter magis in spirituali negotiatione augmentum donorum & præmiatam temporalia, quam æterna non redduntur operum meritis, sed sunt gratuita Dei munera. fideliter laborantibus promissa. Medium *vite & ordinis sano sensu hic concedimus, sed medium causæ & meriti negamus*. Bona opera sunt via regni, non causa regnandi, inquit Bernh. de grat. & lib. arb. col. 105. 9. Quod si nostro arbitrio ex collatione donorum Dei cum talentis quidvis inferre velimus & ultra tertium comparationis progredi, talia possent ex ea inferri, quæ ne ipsi quidem Pontificii concedunt. Ergone etiam inter dona sanctificantia vel ministrantia, i. e. inter bona opera & vitam æternam est proportio? Negant hoc & rectè quidem negant, Pererius dif. 11. in cap. 6. Rom. num. 54.

Maldonat. in h. l. & alii passim. Qui talento negotiantur, quandoque lucro suo frustrantur etiam si ad ummam diligentiam nihil reliqui faciunt. Num idem in hac spirituali negotiatione locum habere dicemus, quod donis Dei rectè utentes præmiis suis interdum fraudentur? absit hoc de benignissimo Deo cogitare. Qui negotiantur, non peccant, si vel maxime honesti & moderati lucri intuitu negotientur, modò nihil contra proximi caritatem agant, num verò dicemus, etiam bona opera intuitu mercedis esse præstanda? at hæc mercenaria erit, non filialis obœdientia. 10. Ipsa vita æterna comparatur *auro, gemmis & margaritis* Apocal. 21. v. 18. & seqq. quid? num ex eo inferemus, etiam vitam æternam esse precium emtionis? quale ergo lucrum nobis comparabimus vel comparare poterimus, quando summum illud spirituale lucrum, ipsam scilicet vitam æternam obrinuimus? 11. Ac ne ulla restet dubitatio, sic progredimur. *Dona Dei* (inquit Pontificius) *& gratia renovationis comparantur hic talento*. Ergo *possumus meritis bonorum operum ex gratia factorum vitam æternam emergere*. At, inquam ergo, Matth. 18. v. 24. omnes comparamur servulo, qui Regi suo debet decem millia talentorum. Qualis verò emtio potest locum habere inter ditissimum Regem, & vilem servulum, quando servulus Regi offert unum vel duo vel ad summum quinque talenta, quibus aliquid ab ipso emat, atque interim debet ei decem millia talentorum? Solvat prius ingens illud debitum, antequam somniet, se uno atque altero talento ex liberalitate Regis accepto regalem ejus arcem mercari posse. Hæc omnia evidenter ostendunt, non posse nec debere ex hac comparatione donorum Dei cum talentis merita nostrorum operum probari, sed ostenditur in ea, 1. *Christi fidelitas*. Christum per suam in cœlos ascensionem quasi peregre à nobis abiit, interim tamen suum in his terris regnum, id est, Ecclesiam suam non neglexit, sed Apostolis administrationem hujus sui regni per Evangelii prædicationem exercendam demandavit, nec hodie eam negligit, sed continuè serie Ecclesiæ suæ doctores & pastores mittit. 2. *Christi benignitas*. Nec Apostoli nec eorum in docendi officio successores ad res tantas, quæ fidei ipsorum commissæ sunt, perficiendas, sunt idonei. 2. Corinth. 2. v. 15. instruit ergo eos ad Ecclesiæ ministerium necessarii, reliquit Apostolis *vicariam vim Spiritus sancti*, ut loquitur Tertullianus, *induit eos virtute ex alto*. Luc. 24. v. 49. & adhuc hodie charismata Spiritus S. doctoribus Ecclesiæ distribuit. Nec solum Ecclesiæ doctoribus, sed etiam omnibus fidelibus distribuit sua dona, cum ab ipso tanquam capite unctio sacra, id est, Spiritus S. cum suis donis in omnia membra descendat. Nec solum sua bona, sed etiam sua mala (ut sic loquar) nobis distribuit, id est, communicat nobis justitiæ acerbissimam tuam passionem, tradit nobis bona, quæ fecit, tradit mala, quæ passus, tradit nobis suos angores, suos cruciatus, sudorem suum sanguineum, suum sanguinem, sua opprobria, sua tormenta, suam mortem. Hæc hæc sunt preciosa illa talenta, quibus vitam æternam nobis promeritus est, quam ex gratia per fidem nobis donat. *Hæc incorrupta substantia est, hoc Christi patrimonium æternis hereditibus reservatum* ait Hilar. can. 27. in Matth. 3. *nostravititas*. Absque hac benignitate Christi sumus egeni ac pauper-

pauperuli servuli, ex nobis tanquam ex nobis nihil habemus, omnia dona ex plenitudine & benignitate Christi ad nos descendunt. *Quid habes o homo quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis* 1. Cor. 4. v. 7. 4. nostra dignitas non innata, sed collata, ex Christi sc. donatione & dignatione ad nos descendens. Ex nobis & in nobis ipsi sumus servi pauperuli, sed à Christo preciosa talenta, id est, præclara dona spiritualia & corporalia accipimus. Gregor. homil. 9. in Evang. *Nullus est, qui veraciter dicere possit, talentum minime accepi, non est, unde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cui libet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit. Ergo non tantum mirari & venerari debemus aliorum dona, sed etiam considerare, quid nobis sit datum, inde præclare dicit Apostolus* 1. Cor. 2. v. 12. *Nos non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, que a Deo donata sunt nobis. Si enim hæc ignoramus, nec gratias datori agimus, nec datorem diligimus, nec de datis rectè collocandis solliciti sumus.* 5. *Quomodo distribuerit.* Mundus distributionis dupliciter exponitur. 1. quod paterfamilias bona sua distribuerit inæqualiter, uni enim dedit quinq; talenta, alii autem duo, alii verò unum. *Uti dicitur & huic quidem.* Vulg. quoad sensum reddidit. *Uti quidem.* Ergo huic servo ex bonis suis quinque talenta auri vel argenti, illi verò duo, isti unum talentum dedit. Syrus sic vertit. *Est cui quinq; talenta, & est cui duo, & est cui unum scil. dedit.* Ecquid verò per hanc distributionis inæqualitatem significatur? 1. Quidam putant hoc non pertinere ad parabolæ sensum, sed duntaxat ejus contextum & ornatum, ac proinde non querendum, quid huic parabolæ membro in re per parabolam significata respondeat. Maldonatus id probat ex eo, quod apud Lucam singulis servis singula mine dicantur tradita, quodque Christo nihil aliud in hac parabola propositum fuerit, quam docere, alios alii diligentius uti Dei donis, illud ergo Lucam expressisse, prætermittit inæquali donorum distributione. Sed ostendimus superius, parabolam de minis apud Lucam diversam esse ab hac de talentis parabola. Accertum est, ut non omnes æqualiter utuntur suis donis, ita quoque non omnes habere dona æqualia. 2. Hieronymus in h. l. per quinque talenta intelligit omnes sensus examinatos, i. e. bonum rationis usum in quinque sensibus; per duo intelligentiam & opera; per unum, rationem, quâ homo à bestiis distinguitur. Sed monuimus superius, de donis Naturæ propriè non agi in hac parabola, unde etiam Hieron. ipsa loquitur alternative. *Vel diversas gratias intelligamus, vel in primo omnes sensus examinatos & c. 3.* Alii ex veteribus per quinque talenta intelligunt quinque sensus; per duo, intellectum & voluntatem; per unum memoriam. De qua expositione idem statuendum quod de priore, ad quam proximè accedit. 4. Est, qui sic progreditur: 1. Paral. 29. v. 7. enumerantur quatuor talentorum genera, videl. talenta auri, argenti, æris & ferri, quibus Zach. 5. v. 7. additur talentum plumbi. Per hæc quinq; talenta intelliguntur quinque bonorum genera, que in Ecclesia ad spirituale lucrum adhibentur. Primum est bonum Naturæ, ingenium sc. & ratio. Hoc denotatur per talentum æris apti ex se in alia converti, quia Natura bonum facillè aliis applicatur. Alterum est bonum gratiæ, quod denotatur per talentum auri, quia gratia animæ datur. Tertium est

bonum scientiæ, ad docendum, quod denotatur per talentum argenti, quia Scriptura est sonore prædicanda. Quartum est bonum committit potestatis ad gubernandum, quod denotatur per talentum ferri quia potestas omnia domat & coerces. Quintum est bonum opulentiæ & divitiarum ad utiliter dispensandum, quod denotatur per talentum plumbi, quod est gravissimum & vile pondus. Hæc quinque talenta dantur omnibus Ecclesiæ Ministris. Duo verò talenta sunt Naturæ & gratiæ dona, unum vero talentum est donum Naturæ, quod omnibus datur. Sed unum atque idem fervorum genus in omnibus tribus classibus videtur intelligendum. 5. Quidam per quinque talenta intelligunt quinque libros legis, per duos *Vetus & Novum Testamentum*, per unum totam Scripturam. Sed hoc parabolæ scopo adverfatur. Christus enim per quinque talenta plus quàm per duo; & per duo plus quàm per unum significare voluit. Jam verò quinque libri sunt pars Scripturæ Canonice, Vetus & Novum Testamentum nihil aliud sunt, quàm tota Scriptura. 6. Quidam dicunt, quinque talenta accepisse Christianum, qui novit Christum pro se in cruce quinq; vulneribus percussus; duo talenta Judæum, qui præter rationem legem Moysi accepit; unum gentilem, qui solam rationem & Naturæ lumen accepit. Sed monuimus superius, Christum in hac parabola non agere de Judæis vel gentilibus, qui sunt extra Ecclesiam, sed de Christianis, qui sunt in Ecclesia. 7. Autor operis imperf. applicat ad diversos Ministerii Ecclesiastici gradus per eum, qui quinque talenta accepit, intelligit Doctores; per eum, qui duo, Diaconos, per eum qui unum, populum. 8. Orig. tract. 33. in Matt. *Quæra qui quinq; acceperant talenta, si possunt intelligi perfectiores, qui diviniorem & sublimiorem acceperunt sensum Scripturæ, qui duo autem acceperunt, super literam quidem, paulò autem superius ascenderunt & non ad magnitudinem illam ascendere potuerunt, tertii autem nihil super literam, quam acceperunt in primis.* Sed hæc explicatio procedit ex hypothesi Origenica, quod omnia in Scripturis transformanda sint in allegorias. 9. Diximus superius, propriè & principaliter hanc parabolam de Apostolis & eorum in docendi officio successoribus agere, proinde quod uni dicuntur quinque talenta data, alteri duo, tertio unum, eo ipso significatur, tùm quod varii sunt gradus ministrorum Ecclesiæ, tùm quod varia sint charismata, quæ Christus ad dextram Patris exaltatus in Ecclesiæ Ministros confert, nec scrupulose inherendum numero, cum in simili parabola Luc. 19. v. 13. singulis decem servis decem mine distribuuntur sed in genere significari intelligendum, quod & ministeria sint diversa & dona ad ministeriorum administrationem collata sint diversa. Hanc explicationem monstrat ipse Apostolus 1. Corinth. 12. v. 4. *divisiones sunt gratiarum & c. v. 8. alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, secundum eundem Spiritum. v. 9. alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in eodem Spiritu. v. 10. alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio Spirituum. alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Et postea vers. 28. *quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundò Prophetas, tertio doctores, deinde viros, exinde gratias curationum, opulationes, gubernatione, genera linguarum & c. Eph. 4. v. 11. ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores & Doctores.*

*Doctores.* Confirmat eandem Historia tum primitivæ Apostolica, tum præsentis Ecclesiæ. In Paulum è cælo ad Apostolatam vocatum contulit Christus *quinque auri talenta*, i. e. dona excellentissima, ditavit ipsum sermone sapientiæ & scientiæ, fide, gratiâ sanitatum, operatione virtutum, prophetiâ, discretione Spirituum, generibus linguarum, operatione sermonum; *duo talenta*, i. e. dona pauciora contulit in Timotheum, quem constituit Evangelistam 2. Tim. 4. 5. & Ecclesiæ Ephesiæ Episcopum 1. Tim. 3. v. 15. *Unum* in Demas, quem Ecclesiæ doctorem constituit, & Paulo Apostolo comitem addidit, sed ille acceptum talentum abscondit, i. e. Paulum reliquit *diligens hoc seculum* 2. Tim. 4. 10. Adhuc hodie Christus illis, quos ad ministerium vocat, dat scientiam Scripturarum, dignitatem muneris Ecclesiastici, donum docendi & alia ad sublimem hanc functionem necessaria, sed in illis donis alii alios antecellunt, vel quia plura donorum genera acceperunt, quam reliqui, vel quia in eodem donorum genere ratione graduum quædam differentia animadvertitur. 10. Quia verò secundariò & minus principaliter ad quævis dona Dei sive *ministrantia*, sive *sanctificantia*, parabolam hanc accommodari posse monuimus, idè per hanc distributionis inæqualitatem intelligi potest, quod nec eadem *ministrantia dona* omnibus fidelibus, sed aliis alia & diversa obtingant; nec eodem gradu *dona sanctificantia* omnibus distribuuntur, sed aliis majori, aliis minore gradu, omnibus tamen incumbit, ut æquali studio dona sibi data exerceant, & quibus possunt modis, lucrum Domini sui promoveant, quò pertinent dicta Apostolica Rom. 12. v. 6. *Habentes charismata secundum gratiam nobis datam differentia sive prophetiam, sive ministerium &c.* Eph. 4. v. 7. *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* 1. Petr. 4. v. 10. *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Potest autem hoc membrum de multis nos utiliter monere. 1. quòd varia ac diversa sint Christi dona, quæ tum in genere in omnes fideles, tum in specie in Ecclesiæ doctores confert. 2. quòd eorundem donorum sint varii ac diversi gradus, Prosper lib. 2. de voc. gent. cap. 2. *In agro Domini non uniformis nec una plantatio est. Et quamvis in unum decorem totius templi struitur a conveniat, non idem tamen locus est, nec idem usus omnium lapidum, sicut & in uno corpore non omnia membra eundem actum habent.* 3. quòd proinde nec uni dentur cuncta, sed hæc quidem huic, illa verò aliis 1. Cor. 12. 29. nec omnibus æqualia, sed quibusdam plurima & maxima, quibusdam mediocria, quibusdam pauca, ac si vel maximè quidam eodem præcellant dono, tamen non in eodem gradu illud acceperunt, ob quam diversitatem variis & diversis unius corporis membris fideles conferuntur 1. Cor. 12. 14. & seqq. 4. Qui ergo plura & majora dona acceperunt, alios non contempnant; qui pauciora & minora, alios non invidiant, cum inæqualis illa distributio ex fonte divinæ sapientiæ & liberrimæ voluntatis descendat 1. Cor. 12. 11. & ad Ecclesiæ ædificationem unicè spectet v. 7. sed singuli contenti sint donis sibi à Deo datis & ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem illis utantur. Rom. 12. 3. Eph. 4. 16. 5. quòd nullus sit, qui non aliquod donum velut unum talentum ex plenitudine Christi Joh. 1. v. 16. & ex inexhausto ipsius thesauro acceperit ac proinde ad gratiarum a-

ctionem & verum doni usum sit ei obstrictus. 6. quòd minimum quodq; in Ecclesia donum sit in se preciosissimum, licet aliis collatum dicatur minimum, quia quodcumque tandem illud sit, talento comparatur, cuius præcium & dignitas longè maxima. In parabola consimili Luc. 19. v. 12. Christus dona sua minis comparaverat, sed ne quis ad vilitatem donorum ista comparatione abuteretur, idè in hac parabola minimum quodq; bonum talento confert. Origenes tract. 33. in Matth. *Qui accepit talentum unum, accepit quidem datum non contumibile, multum est enim & unum talentum talis Domini.*

2. *Quod dederit unicuique secundum propriam facultatem, idè quidam interpretantur propriam, alii accipiunt pro relativo auri secundum ipsius facultatem, sed sensus eodem redit, quòd secundum propriam cujusque facultatem facta fuerit à patre familias inter servos distributio.* Vulgata reddidit, *secundum propriam virtutem.* Sed in Græco est *κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν, secundum cujusque facultatem vel potestatem, ut ad vires, non ad probitatem, hoc referri intelligatur.* Syrus reddidit, *viro viro, id est, unicuique* חַיִל לְכֵלְכֵל *secundum robur, facultatem, alacritatem, strenuitatem, hæc enim omnia nomen חַיִל significat.* Quid verò per hoc membrum in sensu mystico intelligitur? 1. Hilarius can. 27. in Matth. sic exponit. *In quantum quis capax esset, accepit & extra moderantis arbitrium est, quòd erat in jure sumentis &c.* Igitur unusquisque secundum fidei sue mensuram talentum, id est, Evangelii prædicationem à prædicante suscepit. Sed fides non est opus naturalium virium, nec habemus eam ex nobis, ut majorem vel minorem à Deo gratiam accipere quisque nostrum dici possit, prout minorem vel majorem ex se & suis viribus habuerit fidem, quæ opinio in Pelagianis merito fuit postea damnata. 2. Theophylactus ad præparationem cujusque hoc accommodat. *illi quidem, inquit, accipiunt plura, hi verò minora, unusquisque secundum propriam facultatem, hoc est, secundum mensuram fidei & purificationis.* In vas enim, quòd ego daturus sum Deo, in illud mittet donum suum. Si parvum dedero, parvum dabit & ipse donum; si magnum, magnum quoque ipse dabit. Hanc expositionem cupidè amplectuntur Pontificii & referunt ad dispositiones, per quas hominem seipsum ad gratiam gratum facientem se præparare posse statuunt, quas vocant *meritum de congruo.* Vega lib. 8. de justificatione capite ultimo. Bellarminus lib. 2. de pœnitentia cap. 12. & lib. 1. de Justif. cap. 21. Cui opinioni præter fundamenta Scripturæ suo loco in articulo de Justificatione exposita, hac vice opponimus evidentia priorum veterum dicta. Concil. Arauscan. can. 25. *Hoc salubriter credimus & profitemur, quòd in omni opere bono non nos incipimus & postea per Dei misericordiam adjuvamus, sed ipse nobis nullis præcedentibus meritis & fidem & amorem sui inspirat.* Augustin. Epist. 46. *Nemo dicat, meritis operum suorum, vel meritis fidei sue sibi traditam Dei gratiam & putatur verum esse, quòd illi heretici dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quòd omninò falsissimum est.* Prosper lib. 1. de voc. gent. cap. 5. *Vilesceret redemptio sanguinis Christi, nec misericordie Dei operum humanorum prærogativa succumberet, si justificatio, quæ sit per gratiam meritis præcedentibus deberetur, ut non munus esset largitoris,*

sed

sed merces operantis. Idem lib. 2. cap. 2. *Quis nisi insipientissimus imparibus adscribendum meritis arbitretur, quod non equaliter de superna liberalitate conferatur? Si enim hac distributio secundum precedentium operum merita proveniret, non ipsorum donorum catalogum tali conclusione Apostolus terminaret, ut diceret. Hec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult. Ubi utique si meritorum causas voluisset intelligi, diceret: dividens singulis, prout merentur.* Cumque inter dona per talenta significata locum etiam habeant dona ministrantia, quæ ab ipsis Pontificiis vocantur *gratia gratis data*, quomodo illorum respectu preparationes, dispositiones & meritum de congruo locum habere poterunt? 3. inde quidam ex ipsis Pontificiis, ut Barradius, Maldonatus & alii hunc *αεσδιορισμὸν* unicuique secundum facultatem suam statuunt tantum ad contextum & ornatum parabolæ, non autem ad rem per parabolam significatam pertinere. Solent homines pro cuiusque facultate & fide bona sua distribuere ac diligenter cavere, ne illis pecunias suas elocent, à quibus ipsius sortis vel certe lucri metuendum periculum. Solent etiam in distributione bonorum inter œconomos respectum habere prudentiæ & industriæ ac prout quemque prudentem, fidelem, peritum, industrium, adeoque idoneum ad negotiandum vel familiam administrandum viderint, eò plura vel pauciora, majora vel minora ipsis committere; Ex isthac hominum consuetudine hoc parabolæ membrum defumitur ad ejus contextum duntaxat & ornatum, non quod cœlestis dispensator itidem prudentiæ, industriæ, aptitudinis, fidelitatis &c. in bonorum suorum distributione rationem habet (cum dona quedam interdum conferat in rudes & ineptos, in desides & otiosos, quos aliquando simul idoneos facit; aliquando verò ex justo iudicio, quales sunt, relinquit, cumque ex nobis ipsis non sumus ad dona Dei idonei 2. Cor. 2. v. 15.) sed quod in inæquali donorum suorum distributione idem agat, quod paterfamilias, qui unicuique servorum juxta cuiusque facultatem distribuit. 4. Quòd si omnino etiam hanc partem ad sensum mysticum accommodare velimus, sedulo cavendum erit, ne quid contra fidei analogiam proferatur. Prosper lib. 2. de voc. gent. cap. 2. illud sic explicat. *Secundum propriam virtutem, id est, secundum propriam & naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum, quia aliud est posse operari, aliud operari; & aliud est posse habere caritatem, aliud habere caritatem; & aliud est capacem esse continentiam, iustitiam, sapientiam, aliud verò esse continentem, sapientem & iustum.* Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est, quia reparabilem & sanabilem esse de Natura est, reparatum autem & sanatum esse de gratia est. Accipiendum hoc de capacitate passiva non autem activa, quæ homo semetipsum ad recipiendam gratiam præparare possit. 5. Sive ergo de capacitate passiva, sive activa, sive Naturali sive supernaturali hac *δυναμὴς* accipiatur, semper necessario addendum est, quod capacitas illa non minus à Deo sit, quàm ipsa dona, juxta clarissima dicta Apostolica 2. Corinth. 3. v. 5. *Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* 1. Petr. 4. vers. 11. *Si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam submittrat Deus.* Ut enim dona sive charismata non nisi ex Dei

benignitate ad nos descendunt, ita quoque *capacitas* donorum recipiendorum & salutaris usus receptorum itidem est à Dei munere, ut sic gratia præveniens, operans, cooperans, inchoans & consummans ubique agnoscat ac celebretur, *ἐξουσίαν* quidem officii homo dare potest, sed *δυναμὴν* illud ritè administrandi solus Deus. 6. Quamvis igitur Christus interdum in distributione donorum rationem habeat aptitudinis eorum, quibus ea confert, tamen aptitudo illa, sive sit naturalis sive supernaturalis, non aliunde est, quàm ex ipsis donis. Sic cui prius dedit promptum ingenium, felicem memoriam, expeditam loquelam &c, illi dat scientiam Theologicam & donum interpretandi Scripturas; cui dedit scientiam Scripturarum, illi committit Episcopatum, ubi tum ingenii felicitas, tum Scripturarum scientia, tum Episcopatus ab ipsis munere descendunt, quamvis unum donum aliud ordine Naturæ & temporis insequatur. Ac ne quis suspicetur, Christum ad hunc ordinem esse astrictum & semper rationem habere aptitudinis, ideo Apostolus dicit, *S. S. singulis dividere, prout vult* 1. Corinth. 12. v. 11. quod ipsum etiam de Christo intelligendum. 7. Quod ergo quidam hanc *δυναμὴν* accipiunt de Natura, quam etiam ex Deo habemus, tamen nihil tam nostrum vocare possumus, & ex eo inferunt, Deum in distribuendis donis suis Naturæ uniuscuiusque rationem habere, sicut Mosis dedit Spiritum gubernandi, quia Naturæ erat prudentissimus & mitissimus &c. id juxta modò datam explicationem accipiendum, videlicet quod illa ipsa naturali *ἰσχυροτάτης* sit ex Dei munere & quod Deus non semper ac perpetuò ejus rationem habeat. 8. Quod alii eam exponunt de *capacitate humilitatis*, quam vocant *vacillum* ad omnia Dei dona recipienda disponens, illud non potest de prima donorum collatione, sed de eorum duntaxat augmento accipi, quo sensu etiam accipi potest dictum Apostolicum 1. Petr. 5. 5. *Deus humilibus dat gratiam;* id est, auget illis sua dona, qui non propter illa sese efferunt, sed in vero Dei timore & humilitate ad gloriam Dei & proximi salutem illis utuntur. 9. Possimus etiam hoc modo progredi, Paterfamilias unicuique servorum *κατὰ ἰδίαν δυνάμειν* distribuens, utilitatem & commodum familiæ respicit, ut quisque pro virili ex donis fidei suæ concreditis illud promoveat. Quia ergo Christus dona spiritualia diversimodè distribuit, & ut Apostolus loquitur 1. Corinth. 12. v. 7. *τὸ ἑκάστῳ* respicit, ideo hoc quoque respectu unicuique secundum facultatem suam bona distribuere dicitur. Ac sicut neminem sinit tentari supra id, quod potest sustinere 1. Cor. 10. v. 13. ita quoque nemini plura dona committit, quàm quæ ab ipso exerceri posse novit. Quare ut Christus diversimodè dona sua juxta cuiusque facultatem distribuit, ita quoque ministri Ecclesiæ, qui sunt loco Christi, in erogando doctrinæ cœlestis thesauro ad caprum auditorum sese accommodent & quid cuique conveniat, probè dispiciant. 1. Cor. 3. v. 2. *Lac vobis dedi, non escam, nondum enim poteratis* Hebr. 5. v. 13. *Qui adhuc parvulus, lactis particeps est, perfectiorum autem est solidus cibus.* Hieron. in h. l. *Christus vocatis Apostolis doctrinam Evangelicam tradidit non pro largitate & parcitate alteri plus & alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus, quomodo & Apostolus eos, qui*

solidum

solidum cibum capere non poterant, lacte potasse dicit. 10. Illud ipsum, quod Hieronymus  $\omega\sigma\sigma\delta\iota\sigma\mu\acute{o}\nu$  illum, secundum cuiusque virtutem, oppositum esse dicit opinioni hominum quasi ex paritate vel  $\omega\sigma\sigma\omega\lambda\eta\sigma\iota\varsigma$  datoris illa inæqualis distributio descendat, latius exponit Auctor imperi operis homil. 53. in Matth. Non invidens (inquit) alii plus dedit, alii minus, sed considerans diverſitatem fidei (facultatis) eorum. Qui autem invidus est aut parcus, omnibus est parcus & invidus. Neque quasi acceptor personarum fecit differentiam gratiarum. Vis scire? considera, quomodo pene aequaliter remuneravit eum, qui minus obtulit & eum, qui amplius. Si enim acceptor personarum fuisset, utiq; non tantum in danda gratia, quantum in reddenda mercede esset equalis ambobus. Manifestum est, quod in danda gratia non personas aspexit, sed virtutem unicuiusque consideravit, ne supra virtutem opus injungens ipse occasio offensionis existeret & non esset reus, qui peccavit, si supra virtutem imposuisset, & c. quæ tamen omnia cum hac limitatione sunt accipienda, ne vires liberi arbitrii nondum renovati in spiritualibus stabiliri intelligantur.

6. Quo sine distribuerit. Illud in hac quidem parabola parte disertis verbis non exprimitur, interim tamen tum ex sequentibus duabus parabola partibus, tum ex consimili parabola apud Lucam optima ratione colligi potest. In secunda enim parabola parte de illis, qui quinq; & qui duo talenta acceperant, commemoratur, quod illis totidem talenta lucrati fuerint, quo nomine in tertia parabola parte à Domino suo collaudantur & præmiis afficiuntur, contra vero, qui talentum suum in terram defoderat & pecuniam domini sui absconderat, ignominiam & pœnas lucratur; ex quo intelligitur omnes illos servos ante abitum domini sui mandatum ab ipso accepisse quod talentis sibi concreditus debeant lucrari, & quia lucrum utpote finis & consequens non habet locum absq; negotiatione tanquam medio & antecedente, iisdem negotiari. Apud Lucam disertis verbis illud exprimitur. Ibi enim homo nobilis abiturus in regionem longinquam, postquam vocatis ad se servis dedisset decem minas dixit ad illos: *Negotiamini, donec veniam, hoc est, red- eam.*  $\pi\epsilon\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\alpha\iota$  in se ac per se est verbum generale, significans, *res & negotia gerere, rebus & negotiis gerendis occupari, conari aliquid efficere.* Xenoph. lib. 2. *Cyropæd.*  $\omega\sigma\sigma\delta\alpha\iota\varsigma$   $\delta$   $\alpha\lambda\lambda\omega$   $\tau\omega$   $\nu\acute{\omicron}\kappa\epsilon$   $\alpha\upsilon\tau\eta$   $\omega\sigma\sigma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$ . *Totam noctem in somnis re gerenda occuparis.* Demosthen.  $\omicron$   $\delta\epsilon$   $\tau\acute{\epsilon}\tau\omicron$   $\epsilon\kappa$   $\omega\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$   $\epsilon$   $\chi\epsilon$   $\rho\omicron\iota\varsigma$   $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$  in eo efficiendo operam ponebat, hoc est, efficere conabatur, agebat, ut efficeret. In specie hic usurpatur de negotiis quaestiosis ac  $\chi\epsilon\eta\mu\alpha\tau\iota\sigma\mu\omicron\iota\varsigma$  ut significet negotiari in aliqua re ad lucrum, lucrum & compendium in aliqua negotiatione seu exercitatione sectari, cuius significationis exempla ex Græcis Patribus affert Budæus in comm. p. 308. 309. Basil. in Proverb.  $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\epsilon\varsigma$   $\epsilon\upsilon$   $\tau\omega$   $\epsilon\upsilon\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\iota\kappa\omega$   $\sigma\delta\omicron\upsilon$   $\pi\alpha\upsilon\sigma\tau\omicron\mu\epsilon\upsilon\sigma\iota$ ,  $\epsilon\mu\pi\alpha\upsilon\sigma\tau\omicron\iota$   $\epsilon\sigma\mu\epsilon\upsilon$ ,  $\Delta\lambda\lambda$   $\tau\eta\varsigma$   $\epsilon\upsilon\gamma\alpha\sigma\iota\alpha\varsigma$   $\tau\omega\upsilon$   $\epsilon\pi\tau\omicron\lambda\omega\upsilon$ ,  $\tau\omega$   $\kappa\eta\sigma\iota\upsilon$   $\epsilon\alpha\upsilon\tau\omicron\iota\varsigma$   $\tau\omega\upsilon$   $\epsilon\upsilon\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\iota\kappa\omega$   $\omega\sigma\sigma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$ , quæ sententia ex hac ipsa parabola est deducta. In hac significatione nomen  $\omega\sigma\sigma\mu\alpha\tau\epsilon\iota\alpha\varsigma$  videtur usurpari 2. Tim. 2. v. 4. *Nemo militans implicat se negotiationibus lucrosis huius seculi, ut & Plal. 71. vers. 17.*  $\kappa\epsilon$   $\epsilon\gamma\gamma\iota\alpha\upsilon$   $\omega\sigma\sigma\mu\alpha\tau\epsilon\iota\alpha\upsilon$ , ubi in Hebræo est  $\omega\sigma\sigma\mu\alpha$  quod siphra & numeros significat, quibus

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

negotiatore in subducendis rationibus crebro utuntur. Syrus habet verbum  $\neg\eta\eta$  negotiatus est, negotiando lucratus est, mercaturam exercuit & per eam lucrificavit. Duo enim simul complectitur hoc verbum tum antecedens & medium, videlicet negotiationem ipsam sive mercaturam, tum consequens & finem, videlicet lucrum per negotiationem acquisitum, ac proinde, quando pater familias dicit servis,  $\pi\epsilon\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\alpha\iota$ , sensus est, quod debeant negotiari & negotiando lucrum quaerere. Illud ipsum intelligitur ex complemento mandati. Fidelis enim servus, qui quinque talenta acceperat, dicitur in eis operatus esse & quinq; altera talenta consecisse ubi verbum  $\pi\epsilon\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\alpha\iota$  exponitur per duo distincta vocabula  $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$   $\kappa\alpha\iota$   $\pi\omega\iota\epsilon\upsilon$ , quorum prius negotiationem tanquam antecedens & medium, posterius lucrum ex negotiatione acquisitum tanquam consequens & finem describit.  $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$  in genere significat operari, sed quando conjungitur cum nominibus argentum vel pecuniam significantibus, ut hoc loco,  $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$   $\epsilon\upsilon$   $\alpha\upsilon\tau\omicron\iota\varsigma$  scil.  $\pi\omega\iota\epsilon\upsilon$ , in specie usurpatur pro negotiari ad lucrum quaerendum. Demosth. contra Dionys.  $\delta\iota\varsigma$   $\kappa\epsilon$   $\tau\epsilon\iota\varsigma$   $\epsilon\gamma\gamma\alpha\sigma\iota\alpha\varsigma$   $\tau\omega$   $\alpha\upsilon\tau\omega$   $\chi\epsilon\eta\mu\alpha\tau\iota$ , una eademq; pecunia ter & quater negotiari seu quaestum facere. Aristotel.  $\epsilon\iota\kappa\omicron\upsilon$   $\beta$ .  $\tau$   $\delta\epsilon$   $\kappa\alpha\theta\eta$   $\mu\epsilon\theta$   $\omega$   $\pi\alpha\upsilon$   $\epsilon\kappa\alpha\sigma\tau\alpha$   $\epsilon\lambda\alpha\beta\epsilon$ ,  $\epsilon\iota\varsigma$   $\eta$   $\lambda\omicron\upsilon\tau\iota\varsigma$   $\epsilon\kappa\epsilon\lambda\delta\omega\sigma\alpha\upsilon$   $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$  unde  $\epsilon\upsilon\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha$  vel  $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha$   $\chi\epsilon\eta\mu\alpha\tau\iota$  dicuntur, quibus utimur ad negotiationes, quibus apud Jctos otiosa pecunia opponitur. Apoc. 18. v. 17. Apud Plutarchum  $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$   $\tau\omega$   $\mu\alpha\lambda\alpha\sigma\alpha\upsilon$  dicuntur, qui ex mari quaestum faciunt. Quia enim negotiatore lucri intentione mercimonia exercent, inde  $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$ , plerunque de tali negotiatione usurpatur, quæ est quaestiosa & lucrum secum affert. Herodot. in Clio.  $\mu\epsilon\gamma\alpha\lambda\alpha$   $\chi\epsilon\eta\mu\alpha\tau\iota$   $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\iota$   $\mu\iota\mu\omicron\varsigma$ , in qua significatione compositum  $\omega\sigma\sigma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$  ponitur Luc. 19. v. 16. *Eccce mina tua operata est, lucrificavit decem minas, inde  $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$  &  $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha$  ponitur pro lucro, ac  $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$  apud Xenophon. ponitur pro  $\Phi\iota\lambda\omicron\kappa\epsilon\upsilon\delta\epsilon\iota\upsilon$ . In hac significatione à LXX. Interpp.  $\epsilon\pi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota$  ponitur pro  $\neg\eta\eta$  quod est *circuivit è loco in locum, item negotiatus est, mercatus est, quia negotiatore merces suas è loco in locum circumquaque ferunt, ac mercatus causa circumveant, Prov. 31. v. 18. quod alibi vertunt per  $\epsilon\mu\pi\alpha\upsilon\sigma\tau\omicron\mu\epsilon\upsilon\sigma\iota$  Gen. 34. v. 10. cap. 42. v. 34. 2. Paral. 9. v. 14. & c. Syrus repetit verbum  $\neg\eta\eta$ . Verbum  $\omega\iota\epsilon\upsilon$  itidem generalem habet significationem, sed quando ponitur cum nominibus pecuniam vel lucrum significantibus, ut hoc loco  $\epsilon\pi\omega\iota\epsilon\upsilon\sigma\iota$   $\omega\pi\acute{\epsilon}\tau\epsilon$   $\tau\alpha\lambda\alpha\upsilon\tau\alpha$ , & apud Lucam cap. 19. v. 18. *mina tua,  $\epsilon\pi\omega\iota\epsilon\upsilon\sigma\iota$   $\omega\pi\acute{\epsilon}\tau\epsilon$   $\mu\iota\alpha\varsigma$ , tunc describit lucrum ex negotiatione acquisitum. Sic apud Pollucem  $\omega\iota\epsilon\upsilon\sigma\iota$   $\alpha\gamma\gamma\upsilon\lambda\epsilon\upsilon$  & apud Demosthen. ad Phœniipp.  $\omega\lambda\omicron\upsilon\varsigma$   $\chi$   $\sigma\iota\tau\omicron\upsilon\varsigma$   $\chi$   $\omicron\iota\upsilon\upsilon$   $\pi\omega\iota\epsilon\upsilon\sigma\iota$ . *Qui multum frumenti & vini conficiunt; in qua significatione faciendi verbum etiam apud Latinos Scriptores usurpatur. Cicer. 4. in Verrem. Quibus nam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere possit. Atque hoc modo Marthæus ipse verbum  $\omega\iota\epsilon\upsilon$  hic exponit, quando lucrum duorum talentorum in vers. seq. describens utitur verbo  $\kappa\epsilon\upsilon\delta\epsilon\iota\upsilon$  lucrari. Syrus reddidit per  $\neg\eta\eta$  quod est verbum Syris proprium, *lucritus est, fecit ut abundaret* Ex quibus omnibus apparet, patrem familias eo sine bona sua inter servos distribuisse,****

Cccc

buisse,



buiffe, ut illis negotiarentur & negotiando lucrum acquirerent. Verbum igitur *παρῶδες*, quo Matthæus in descriptione hujus distributionis utitur, accipiendum est non de translatione domini ac proprietatis, quasi dominus hoc modo ac sine bona sua servis tradiderit, ut fierent ipsorum propria, quæ pro lubitu expendere vel profundere possent, vel otiosa apud se eadem asservarent, sed ut iis negotiarentur, & hac ratione lucrum domini promoverent. Ergo non debuerunt ea servi tanquam propria sibi arrogare, vel pro arbitrio ipsis uti, sed agnoscere, se esse constitutos negotiatores & œconomos, ut in simili ferè parabola dicitur Luc. 16. v. 1. quibus de bonis fidei suæ concreditur aliquando sit reddenda ratio. Debuerunt igitur juxta domini sui voluntatem ea dispensare, ac iis negotiando bona domini augerè, ut hac ratione fortem cum lucro bonâ fide illi aliquando restituerent, à quo sortem ad negotiandum & lucrandum acceperant. Num verò approbat Christus artes lucratorias, usurarias & questuosas, quibus cum damno proximi homines discescunt? Resp. tam non probat illas, si pugnent cum justitia & caritate proximi, quam non probat fraudes & economi injusti, cujus prudentiam imitandam nobis proponit, Luc. 16. vers. 8. vel furtum, quando dicit se *notū instar furis venturum*, Matth. 24. v. 43. 1. Thessal. 5. vers. 2. Apocal. 3. vers. 3. Parabolâ enim ducuntur *ἐν τῷ γινώσκῳ*, ex iis, quæ sunt vel fieri solent in vita communi, sive probentur sive improbentur, nec solum à simili, sed etiam à dissimili concludunt, ut apparet ex parabola de villico iniquitatis & judice iniquo. Ejusmodi conclusio à dissimili etiam in hac parabola institui posset. Si terreni negotiatores tantis laboribus ac sudoribus temporalia quarunt lucra, quanto magis fidelibus convenit in spirituali negotiatione cœlestia lucrare, sectari! sed non opus est, ut eò abeamus, quia non omnis negotiatio lucrum afferens est inhonesta & iniqua, sed potest mercatura & negotiatio sine Dei offensa & jactura salutis exerceri ab iis, qui lucrum caritati proximi & bono Reipubl. subordinant, mercaturam ad honestum finem, Reipubl. scilicet commodum & honestam suorum sustentationem dirigunt, lucro moderato contenti sunt & sine mendaciis, perjuriis ac fraudibus hanc artem exercent. Thom. 22. quæst. 77. art. 4. unde Apostoli conversis ad Christianismum non fuerunt auctores, ut à mercatura & negotiationibus desisterent, sed ne proximum in eis defraudarent, 1. Thess. 4. vers. 16. *Mercatura stentus*, inquit Cicer. 1. offic. *sordida putanda est, (sin magna & copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impartitus, non est admodum vituperanda.* Christus igitur exemplo negotiatorum lucrum ex bonis sibi concreditis acquirantium nos hortatur, ut ipsi quoque talentis à Deo nobis traditis, hoc est, donis divinâ benignitate nobis concessis negotiemur & spiritualia lucra comparemus. Quid verò in sensu mystico per hanc negotiationem & lucrifactionem intelligitur? 1. Diximus superius, parabolam principaliter & præcipuè agere de ministris Ecclesiæ, quibus docendi munus commissum, & eloquia divina sunt concredita. Illi debent *negotari & lucrari*, hoc est, debent assiduo studio majorem Scripturarum, quæ ipsis commissa sunt, & divinarum rerum notitiam sibi comparare, ac ut Hieron. in comm. loqui-

tur, *cœlestium notitiam sibi duplicare ex creaturis intelligentes creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex visibilibus invisibilia, ex brevibus æterna; debent ergo in lege Domini meditari die ac nocte* Psal. 1. v. 1. *Scripturas scrutari* Johan. 5. v. 39. *attendere lectioni* 1. Timoth. 4. v. 13. *ut in cognitione Dei ac divinorum mysteriorum subinde crescant; debent etiam τὸ χάρισμα ἔχειν, quod est in ipsis per impositionem manuum, ἀναλωσάμενοι* 2. Timoth. 1. v. 6. (in quo verbo quidam statuunt metaphoram ductam à scintilla in cineribus asservata, quæ leni flatu excutitur, ut flammam concipiat. Rectius dicitur, respectum haberi ad typum Sacerdotum Vet. Test. quorum assiduo ministerio ignis cœlitus delapsus fovebatur, ne extingueretur. Ita quoque Doctores Ecclesiæ debent dona sibi concessa excitare & excuscitare, ne extinguantur defidiâ & ignaviâ, sed luceant in Ecclesiâ domo) non habent negligere gratiam, quæ data est ipsis per prophetiam cum impositione manuum 1. Timoth. 4. vers. 14. (ubi charisma complectitur tum ipsam ministerium Ecclesiasticum, ad quod Timotheus erat legitime vocatus, tum dona Spiritus S. ad illius administrationem necessaria, quæ unâ acceperat, utriusque; non debet ἀμελεῖν, sed utrumque μελετᾶν v. 15.) debent etiam attendere exhortationi & doctrinæ v. 13. *τὴν διακονίαν πληροφροσύνῃ* 2. Timoth. 4. v. 5. *predicare verbum, inflare oportune, importune, arguere, obsecrare, increpare in omni μακροθυμίᾳ & doctrinᾷ* v. 2. *κακοπαθεῖν, sicut boni milites Christi*, 2. Timoth. 2. v. 3. omnes suas cogitationes, studia & actiones eò dirigere, ut multos Christo lucrificent 1. Corinth. 9. v. 19. & sequi possint cum Apostolo dicere ex 1. Cor. 15. v. 10. *gratia Dei in me non fuit vacua.* Si hac ratione spiritualement negotiationem exercuerint attendentes sibi ipsos & doctrinæ, ac instantes in illis, semetipsos saluos facient, & eos, qui ipsos audiunt 1. Timoth. 4. v. 16. & c. 2. *Secundario & minus principaliter accommodari potest parabola ad eos, qui Magistratus officio funguntur vel patres familias a Deo sunt constituti. Magistratus autoritate muneris sibi commissi (quod iridem est insigne talentum à Deo ipsis concreditum) utantur ad justitiæ administrationem, pacis conservationem divini cultus promotionem, non ad oppressiones vel exilationes subditorum, aperiant portas Domini gloriæ Psal. 23. v. 7. & 9. sint nutritii Ecclesiæ* Ef. 49. v. 24. & c. *Patres familias educant liberos in τῷ φόβῳ κυρίου*, Ephes. 6. v. 4. doceant, moneant, corripiant eos, ita quoque ipsi poterunt spirituale lucrum aliquando Deo offerre. 3. In genere ad omnes fideles hæc parabola accommodari potest, & quidem tum ad *dona gratiæ* sive sint *dona sanctificantia*, sive *ministrantia*, tum ad *quævis dona alia*. Respectu donorum sanctificantium sive doni renovationis omnibus sedulo cavendum est, ne eis *novâ gratiam Dei acceperint*, hoc est, frustra & absque fructu 2. Cor. 6. v. 1. *ne desint gratiæ Dei* Heb. 12. v. 15. *ne Spiritum extinguant* 1. Thessal. 5. v. 19. (ubi per Spiritum haud absurdè intelliguntur non solum dona Spiritus ministrantia, sed etiam sanctificantia, lux salutaris cognitionis Dei per Spiritum sanctum in cordibus accensa, fides, spes, caritas, quæ per securitatem & ignaviam extinguuntur, nisi exercentur) contra verò summo studio ipsis hoc agendum, ut *excitentur dona Spiritus & foveantur instar ignis spiritualis ligno vite*, hoc est, verbo Dei, ac instar lampadis

lampadis lucentis foveantur oleo Evangelii 2. Tim. 1. v. 6. (quod præceptum generaliter ad quosvis fideles accommodari posse offendit connexio textus Apostolici, *ὅτι ἡ ἀριστεία*, hoc est, quia Deus veram fidem tibi concessit, quæ est insigne *χαρίσμα* & radix bonorum operum, ideo non patiaris eam otiosam, sed exules eam meditatione verbi, piis precibus & pietatis exercitiis.) Proinde exercere se ipsos quotidie ad pietatem 1. Tim. 4. v. 6. sint similes homini negotiatori quærenti bonas margaritas, qui invenit unam preciosam margaritã abiit & vendidit omnia que habuit & emit eam Matth. 13. v. 45. & 46. hoc est, interprete Apostolo Phil. 3. v. 7. que lucra ipsis fuerunt, arbitrentur propter Christum detrimenta, adeoque omnia existimant esse detrimenta propter eminentiam cognitionis Christi Phil. 3. v. 8. & 9. Hæc scilicet pretiosa illa margarita, Christus cum suo merito & beneficiis, propter quam in hac spirituali negotiatione omnium rerum terrenarum jacturam facere non dubitemus, modò eam lucrari possumus. Neque tamen otiosus & securus simus, quando hanc preciosam margaritam, Christi justitiam, fide obtinuerimus, sed fidem nostram in bonis operibus exerceamus & per eam demonstremus Jac. 2. v. 18. *Inutilis enim est fides & quasi mortuum aliquid, nisi dilectione valeat & vivat, unde non absurde dicitur, operosam fidem vivere, quia habet vitam dilectionis, sine qua non operaretur, & otiosam fidem non vivere, quia caret vita dilectionis, sine qua non otaretur*, inquit Anselmus in morolog. cap. 75. In eandem sententiam Autor imperf. operis sic differit hom. 53. *Sicut pecunia hæc corporalis, si sit in sacculo, inclusa ipsa est semper: si autem fuerit agitata de manu in manum, usu ipso multiplicatur, unde usura dicitur ab usu: sic & fides Christi, si quidem otiosa tenetur in corde, non solum ipsa manet, quæ fuit, sed adhuc minoratur in otio & torpescit & segnis efficitur, & paulatim per actus carnales exinanita ad nihilum vadit. Si autem exercitata fuerit Scripturis & locutionibus assiduis suscitata operibus bonis vivificatur* (viva demonstrata Jac. 2. v. 18.) non solum dico multiplicatur, sed nunquam, desinet crescere, donec vivet homo. Eò respiciens Hilarius can. 27. in Matth. lucrum spirituale exponit de operibus ex fide factis. *Duplicatio sumta pecunie, inquit, est fide operationem addidisse & quæ opinione crediderant, rebus factis, gessisse. Respectu donorum ministrantium in spirituali negotiatione requiritur, ut ea utiliter impendantur ad promovendam Dei gloriam, & aliorum salutem, quia spiritualis negotiatio complectitur, tum munerum administrationem, tum salutarem donorum usum, tum hinc profectam Ecclesiæ edificationem & proximi salutem.* Huc referendæ sunt exhortationes Apostolicæ. Rom. 12. v. 6. *Habentes charismata secundum gratiam nobis datam, differentia, sive prophetiam, secundum analogiam fidei; v. 7. sive ministerium in ministrando; sive qui docetur in doctrina; v. 8. qui exhortatur in exhortando; qui tribuit in simplicitate; qui præest, in sollicitudine; quia miseretur, in hilaritate, (ubi per prophetiam intelligitur donum interpretandi Scripturas, per *διακονία* generaliter quodvis Ministerium Ecclesiæ utile, cujus species postea subjiciuntur; per *διδασκαλία* intelliguntur Doctores, qui doctrinam Christianam explicabant & contra corruptelas defendebant absque applicatione ad auditores sive*

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

commonefactione, sicut hodie in Scholis ferè fieri consuevit; per *παρακαλῶντας*, pastores, qui non solum doctrinæ veritatem explicabant, sed etiam ad usum eam applicabant consolando, arguendo, commonefaciendo, prout utilitas auditorum requirebat; per *μεταδιδόντας* Præfetti elemosinarum, mensi ministrantes; per *πρεβυτέρους* Seniores, qui unà cum pastoribus Ecclesiæ erant Præfetti, per *ἐλαϊώνας*, qui ægrotorum, exulum & hospitem curam gerebant, quibus omnibus ac singulis Apostolus sua munia præscribit, pro talento officii ac donorum suorum negotiari & lucrari debeant) 1. Cor. 12. v. 7. *Unicuique datur manifestatio Spiritus, πρὸς τὸ συμφέρον* (ergo omnia ad Ecclesiæ *οἰκονομίαν* & utilitatem sunt dirigenda; quæcunque dona habemus, ad Ecclesiam propagandam conferenda) Eph. 4. v. 16. *Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum compactum per omnes suppeditatas commissuras ex vi intus agente pro mensura uniuscujusque membri incrementum capit corpori conveniens ad sui ipsius extructionem per caritatem, (sicut in corpore humano unumquodque membrum alteri suppeditat illud, quod vi divinitus sibi insitã producere potest, stomachus epati suppeditat chylum, epar venis chylum, venæ omnibus membris sanguinem, caput sensum & motum, cor vitalem spiritum, &c. ad totius corporis incrementum & utilitatem, sic in mystico Christi corpore similis debet esse *Ἐπιχορηγία* & communicatio donorum) 1. Petr. 4. v. 10. Ut quisque accepit donum, ita aliis in alium illud subministret, ut boni dispensatores variae gratiæ Dei. Dona sanctificantia propriè ac præcipuè dantur ad salutem sive utilitatem possessorum, dona ministrantia ad salutem aliorum, interim ut illa servire possunt aliorum salutem, quatenus exemplo nostro alios ad pietatem invitamus & Christo lucrificamus 1. Petr. 3. v. 1. ita & hæc si debito modo exerceantur, ipsorummet possessorum promovere possunt utilitatem, quatenus is, qui aliis proficit, sibi quoque proficit, cum ex fide Deo obœdientibus & dona sua ad proximi salutem impendentibus præmia temporalia & æterna ex gratia à Deo sint promissa. Denique respectu quorumvis aliorum donorum à spiritualibus negotiatoribus requiritur, ut iis omnibus ad gloriam Dei & proximi salutem utantur. Chrysostom. homil. 79. in Matth. *Pecunia, studio, autoritate & quibuscunque possumus modis, proximum adjuvemus, &c. Nemo secum dicat, cum unum talentum habeam, nihil possum efficere, potest profectò ex una re sola comprobari &c. Nulla res Deo gratior, quàm ut universam vitam ad commune commodum conferas. Idcirco ratione atque oratione nos Deus decoravit, mentem atque ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, ut his omnibus & nos ipsos & proximos tutemur. Apparet autem ex hoc distributionis fine. 1. Quanta sit Christi *Φιλανθρωπία*. Distribuit nobis sua dona, ut illis lucremur. Ergo tam gratam, imò longè gratiorem habet hominum salutem, quàm mercatores lucrum, cujus sunt avidissimi & cujus acquirendi causã nulli labori parcunt. Non ditatur nostrã vel obœdientiã, vel salutem, neque quidquam ipsi, utpote *ἀντεπερὶάτω*, & sibi ipsi sufficientissimo ex eo accedit, quod homines fiunt justi & salvi ac quod rectè utuntur donis sibi concessis, Augustin. lib. 10. de civit. Dei cap. 5. *Ne ipsã quidem justitiã hominis Deum egere credendum, totumque quod rectè colitur Deus, homini prodesse,***

Cccc 2 prodesse,

prodesse, non Deo, neque enim fonti se quisquam profuisse dixerit, si biberit, aut luci, si viderit: Job. 22. v. 3. Nuncquid  $\text{וְלֹא}$  utilitas vellucrum omnipotentis, quod perficias vias tuas? interim tamen pro lucro quasi habet, quando salus hominum promovetur, cum ipse sit summum bonum communicatione ac diffusionem sui gaudens. 2. In quo consistat donorum divinorum  $\text{עֲוָרָה}$ , ac salutaris usus, videlicet non ut ea in terram defodiamus, multo minus luxuriose consumamus, sed ut sedulo ea exerceamus, & per eorum exercitium Dei gloriam & Ecclesie salutem promoveamus, ut alios ad justitiam erudiamus, ad fidem perducamus, eosque Christo lucrificamus. Dan. 12. v. 3. quinimò non solum aliis, sed etiam nobis ipsis ad augmentum donorum & confirmationem salutis proficit, si donis Dei rectè utamur, si non simus otiosi, sed negotiosi; non desidiosi, sed laboriosi; non legnes & remissi, sed gnavi & industrii. Luc. 11. v. 13. dabit Deus Spiritum sanctum petentibus. Hoc non potest de prima donorum Spiritus sancti collatione intelligi, quia absque Spiritu sancto non possunt preces Deo gratæ fieri Zach. 12. v. 10. 1. Corinth. 12. vers. 3. Sed est accipiendum de augmento donorum Spiritus sancti, quod Deus orantibus & laborantibus incrementum donorum concedat, sicut rectè dicitur in vulgato verbo: *Ora & labora, sic Deus auget sua dona.* 3. Quam necessaria sit spiritualis illa  $\text{ἐπιποσία}$  ac negotiatio. Deus hoc sine sua dona nobis largitur, ut illis negotiemur ac lucremur. Ergo est ipsius serua voluntas, ut per exercitium donorum nos ipsos & alios in pietate edificemus. Nihil magis adversatur divinæ benignitati in collatione donorum manifestata, quam charismata illa, quorum vis in usu consistit, otiose apud se asservare, nec ad usum spiritualem accommodare. *Omniem vim virtutis in actione consistere*, Ethici dicunt; idem etiam de donis Dei dicere possumus, videlicet eorum usum consistere in exercitio operationis. Qui ea ad lucrum domini impendit, augmentum eorum consequitur; qui in terram defodit, non aliis solum, sed etiam ac vel maximè sibi ipsi officit, ex sequentibus clariùs patebit. Sicut peccando & otio damnum facimus, sic dono Dei rectè collocando & benè operando lucremur.

In altera parabola parte describitur *servorum*, qui talenta acceperunt, *disparitas*. Pater familias uni servorum dederat *quinque talenta*, alteri *duo*, tertio *unum*. Ut dispar & inæqualis fuit illa talentorum distributio, ita quoque dispar & inæqualis fuit eorundem à servis facta collocatio. Duo ex illis, videlicet *primus*, qui quinque acceperat, & *secundus*, qui duo acceperat, talentis sibi concreditis ad negotiationem fuere usi, *tertius*, qui unum acceperat, à negotiatione prorsus abstinuit. Sed & priores duo, quamvis in negotiatione fuerint pares, tamen in lucro fuere dispares; qui enim quinque talenta acceperat, lucratus est *altera quinque*, qui duo acceperat, lucratus est & ipse, non autem quinque, sed *duo tantum talenta*, ex quo triplex servorum classis emergit. 1. *Abiit autem, qui quinque talenta acceperat.* Participium  $\text{ὑπερβέβηκεν}$  absolute positum significat frugimur & industrium servum voluntati domini obsecutum abiisse ad negotiationem. Absque itineribus terræ marique susceptis amplæ negotiationis vix peragi possunt, ex quo natum illud Poëta:

*Impiger extremos currit mercator ad Indos,  
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.*

Introducitur igitur hic servus, qui præstantissima lucra fecerat  $\text{ὑπερβέβηκεν}$ , quod proprie de peregrinationibus usurpatur, sed de ignavo & infideli servo usurpatur participium  $\text{ὑπερβέβηκεν}$ , quia negotiorum causâ pedem domo non extulit, sed abiens in ipsis domini sui adibus quæsit locum tutum, in quem talentum suum defoderet. Erasmus & vulgata versio utrobique utuntur verbo *abiit*, sicut etiam Syrus utrobique habet verbum  $\text{ἦλθε}$  sed in Græco textu distincta ponuntur participia  $\text{ὑπερβέβηκεν}$  &  $\text{ἦλθε}$ . In sensu mystico per hanc professionem significari putant, quod *fideles & industrii Dei servi in sui consideratione ingrediuntur, & id, quod à celesti parentibus acceperunt, recogitant, vel quod è virtutibus in virtutem eant & quotidianos profectus faciunt.* Sed si omnino etiam in hoc verbo mysterium quærere animus est, commodissimè poterit illud applicari ad Apostolos per hunc servum præcipuè præfiguratos, qui à Christo in totum terrarum orbem cum prædicatione Evangelii proficisci iussi Matth. 28. v. 19. (ubi in textu Græco itidem habetur participium  $\text{ὑπερβέβηκεν}$  egressi prædicaverunt ubique Marc. 16. v. 20. *ita ut in omnem terram exiret sonus eorum*, & in fines orbis terre verba eorum Rom. 10. v. 18. *cum primis verò ad Apostolum, qui de seipso testatur Rom. 15. vers. 19. quod ab Hierosolyma per circuitum usque ad Illyricum omnia repleverit Evangelio Christi*, quinimò tota vita Pauli post acceptum Apostolatium nihil aliud fuit, quam continua quadam profectio. Neque verò vel Paulus vel ceteri Apostoli laboriosas illas profectioes, & totius terræ peragrations animi causâ vel temporis fallendi ergo susceperunt, sed quoque; pervenerunt, Evangelicæ prædicationis semen sparserunt, ut spiritualis lucri messis perquam copiosa ex eo surgeret. Illud in parabola porro significatur, quando de primo illo servo  $\text{ἔλαβεν ἀπὸ τοῦ κυρίου αὐτοῦ ἑπτά μύρια ἀργύρια}$  dicitur, quod *ἔργαστο* operatus sit in quinque talentis fidei suæ concreditis, hoc est, quod ad negotiationes ea impenderit, quod in eis & per ea mercimonia exercuerit, (phrasis enim  $\text{ἐργαστο}$  Syr.  $\text{עָבַד}$  ponitur pro *di autem vel ἐξ αὐτῶν*) quodque mediante fidei negotiatione *consecerit altera quinque talenta.* Pro verbo  $\text{ἐργαστο}$  quidam Codd. legunt  $\text{ἐκέρδησε}$ , *lucratus est*, quo modo etiam vertit Latinus Interpres, qui unâ cum Syro omisit nomen *talentorum*, quod in Græco hic additur. Sensus eodem redit, ut ex verbis  $\text{ἐργαστο}$  &  $\text{ἐκέρδησε}$  ostendimus superius. De mystica hujus lucri significatione paulò post dicitur. 2. *Similiter & qui duo*, scilicet talenta acceperat, *lucratus est & ipse altera duo.* Vocabulum  $\text{ἔργαστο}$  confert hunc servum cum priore ratione. 1. *negotiationis*, quod æquè ac prior fuerit negotiatus. 2. *fidelitatis & industriae*, quod non minorem adhibuerit fidem, prudentiam & diligentiam in negotiando. 3. *ipsius lucri in genere*, quod ipse quoque lucri aliquid fecerit; interim manet disparitas in lucri quantitate, quod prior quidem quinque talenta consecerit, hic verò tantum duo. Verbum *acceperat* majoris σαφηνείας causâ ab autore vulgatae versionis additur, sed in Græco & Syro omittitur sine ulla sensus jactura. Vicissim emphaticum illud

Iudaei autem, per quod exponitur, in quo hic servus cum priore conferatur, nec Syrus nec Latinus Interpres expresserunt, quod tamen in omnibus Graecis Codd. additur. το έκπεδοσε exponit verbum ἐπινοε de priore servo usurpatum, unde Syrus & Latinus utrobique uno & eodem verbo *ררר* lucratus est illud reddiderunt. Denique quod hic servus dicitur lucratus *αλλα δυο*, illud Latina versio reddidit, *alia duo*, sed Latinus dixisset, *altera duo*, quo modo Erasmus vertit. Restat, ut mysticam horum servorum negotiationem expendamus. 1. Origenes tract. 33. in Matth. per hanc luci disparitatem intelligit significari certos gradus in Scriptura & divinarum mysteriorum intelligentia.

Qui extra quinque talenta (inquit) alia quinque lucrati, hi sunt operantes in eis, & per doctrinam exercitantes seipsum ad maiorem scientiam erigentes. Conversati enim salutariter & studioso docentes, operati sunt & lucrati alia quinque, quoniam nemo facile additamentum accipit virtutis alterius, nisi ejus, quam habet, ut puta sapientiam in sapientia crescit, fidelis in fide. Aut ita.

Alia acquisivit quinque, quoniam unusquis, quod ipse fecit, hoc docet alterum & quanta ipse scit, tanta docet alterum, non amplius. Propterea quicquid habuerit quia in se, hoc alterum docendo acquirit, in altero faciens eum habere quod habet ipse.

Propterea quinque habuit & non amplius acquisivisse dicitur, nisi quinque qui habuit, & qui duo, non amplius nec duo, quae habet. Sed hypothesis illa, quod nemo in hac spiritali negotiatione aliud donorum genus in se, nec altiorum quandam scientiam gradum in discipulo lucrari possit, quam jam ante habet, est incerta. 2. Hilarius can. 27. in Matth. applicat ad populum Judaicum & gentilem ad Christianismum convertum.

Servus ille, qui quinque talenta accepit, populus ex lege credentium est, ex quo profectus, meritum ipsius recte probeque perfunctus, Evangelicae fidei operatione duplicavit &c. Cui erant quinque commissi, domino reverso de quinque decem obtulit, talis scilicet in fide reperitur, qualis in lege, qui decem verborum quinque libris Moysi preceptorum obedientiam per gratiam Evangelicae justificationis expleverit &c. Ille vero servus, cui duo talenta commissi sunt, gentium populus est, fide atque confessione & illi justificatus & Patri, Dominum nostrum Jesum Christum Deum atque hominem & Spiritu & carne confessus. Nam & corde fides & ore confessio est. Hec ergo huic sunt duo talenta commissi. Sed ut prior ille omne Sacramentum in quinque talentis, id est, in lege cognoverat, idque ipsum fide Evangelii duplicaverat: ita iste incremento duum talentorum atque operatione promeruit, ratione ac reditu dissimile &c. Est autem duplicatio summa pecuniae operationem fidei addidisse & quae opinione crediderant, rebus factis, gessisse. Sed ut à convertis ex Judaeis aequè ac à convertis ex Gentibus requiritur fides in Christum Deum & hominem, ejusdemque confessio: ita à convertis ex gentibus aequè ac à convertis ex Judaeis requiritur obedientia erga Decalogum in quinque libris Moysi comprehensum. 3. Ambrosius in cap. 19. Luc. eodem ferè modo exponit: fortasse, inquit, iste (qui apud Lucam quinque minas lucratus est) moralia habet, quia quinque sunt sensus corporis, ille (qui decem minas lucratus) decem duplicia, hoc est, mystica legis & moralia probitatis. Unde & Matthaeus quinque talenta & duo talenta posuit. In quinque talentis ut sint moralia, in duobus utrumque mysticum & morale. Ita

quod numero inferius, re uberius &c. Sed quilibet videt, haec esse obscurius dicta. 4. Hieronymus in cap. 24. Matth. sic progreditur: Qui talenta quinque lucratus, acceptis terrenis sensibus celestium sibi notitiam duplicavit, ex creaturis intelligens creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex visibilibus invisibilia, ex brevibus aeterna. Qui duo lucratus, & iste pro viribus, quicquid in lege didicerat, in Evangelio duplicavit, sive scientiam & opera praesentis vitae future beatitudinis typos intellexit. 5. Autor operis imperfecti. homil. 53. applicat ad officia Ministrorum Ecclesiae: Qui quinque acceperat talenta, acquisivit alia quinque. De talento agnitionis Christi acquisivit unam justitiam, bene vivendo. De Presbyterio autem ipso acquisivit justitiam sollicitè presidendo Ecclesiae. De verbo acquisivit justitiam verbum veritatis sinceriter predicando. De Baptismo lucratus est secundum Christi regulam baptizando & dignos filios cum judicio Ecclesiae acquirendo. De sacrificio acquisivit justitiam, tam mundum & immaculatum sacrificium populo offerendo, & pro peccatis populi exorando. Similiter & qui duo talenta accepit, lucratus est alia duo, hoc est, duas justitias. Unam bene vivendo, quam acquisivit à fide Christi, alteram sinceriter ministrando, quam fecit ex ministerio Diaconatus. 6. Gregorius homil. 9. in Evangel. Is, qui quinque talenta acceperat, alia quinque lucratus est, quia sunt nonnulli, qui etsi interna ac mystica penetrare nesciunt, pro intentione tamen supernae patrie docent recta quos possunt, de ipsis exterioribus, quae acceperunt, duplum talentum portant, dumque se à carnis petulantia, & à terrenarum rerum ambitu atque à visibilibus voluptate custodiunt, ab his etiam alios admonendo compescunt. Et sunt nonnulli, qui quasi duobus talentis ditati intellectum atque operationem percipiunt, subtilia de internis intelligunt, mira in exterioribus operantur, cumque & intelligendo & operando aliis predicant, quasi duplicatum de negotio lucrum reportant. Sed hoc procedit ex hypothesis illa, quod per quinque talenta quinque sensus, per duo intellectus & operatio designentur. 7. Diximus superius, in eo, quod uni quinque, alteri duo talenta dicuntur concedita, non esse scrupulose ac praecise inharendum numero, cum in simili parabola Luc. 19. v. 13. singulis decem servis decem minas distribuuntur, sed in genere significari, quod & ministeria & dona in Ecclesia sint diversa. Idem etiam de hac inaequalis lucri acquisitione statuendum, videlicet quod nec hic praecise numero sit inharendum, cum in simili parabola Luc. 19. v. 16. & 18. primus servus decem, alter quinque minas lucratus dicatur. In genere igitur significatur, quod in hac spiritali negotiatione non unum atque idem apud omnes sequatur lucrum, sed quod quidam maximum faciant lucrum, qui multas animarum myriadas Christo lucrificiant, quidam verò mediocrem, qui pauciores homines convertunt; quodque ut ipsorum donorum, ita quoque augmenti donorum sint certi gradus, dum quidam & sibi ipsis & aliis magis, alii verò minus donis suis profunt. In humanis apud negotiatores summum ferè lucrum censetur, quando illud cum forte exaequatur, ultra illam enim rarò assurgit absque manifesta injustitia, ergo per servum illum, qui quinque talentis alia quinque lucratus introducit, denotantur illi, qui cum in sublimitate officii Ecclesiastici constituti sint, & praestantissimi

ma à Deo dona acceperint, iisdem etiam saluberrimè utuntur ac præstantissima lucra in hac spirituali negotiatione faciunt, qualis cum primis fuit Apostolus Paulus, qui de seipso verissimè testatur 1. Corinth. 15. v. 10. quod *πλεονάζοντων πάντων (ἡ Ἀποστόλων) ἐκοπίασε*, quodque *ἡ ἀποτίσις αὐτοῦ καὶ ἡμέραν ἢ μέγιστα πᾶσιν τῶν ἐκκλησιῶν*, velut quodam exercitu circumvallatus & oppressus fuit à cura & sollicitudine pro omnibus Ecclesiis. Per servum, qui duobus talentis altera duo lucratus fuit, significantur illi, qui cum inferiorem in Ministerio Ecclesiastico sortiti sint gradum & mediocria à Deo dona acceperint, strenuè tamen ac sedulo ea exercent, ac pro virili gloriam Dei, Ecclesiæ ædificationem & proximi salutem promovere student, qualis v. g. fuit Timotheus, Ephesinæ Ecclesiæ Episcopus, nec officio nec donis Paulo æqualis, interim tamen *καλὸς καὶ πιστὸς διάκονος*. 1. Timoth. 4. v. 6. spiritualis Pauli filius 1. Tim. 1. v. 2. 2. Tim. 1. v. 2. qui quoniam non neglexit gratiam sibi datam per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii 1. Tim. 4. v. 14. sed attendit dictioni, exhortationi & doctrinæ v. 13. fuit exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, v. 12. & attendit sibi ipsi & doctrinæ, instans in illis, seipsum fecit salvum & eos, qui ipsum audierunt v. 16. Eò remittunt nos pii veteres, quando lucrum talentorum in prædicatione verbi quærendum esse monent. Gregorius homil. 9. in Evang. *Bene alia quinq; vel alia duo talenta in lucrum venisse referuntur, quia dum utrique sexui prædicatio impenditur, quasi accepta talenta geminantur.* Eadem verba repetit Beda in cap. 25. Matth. sed pro utrique sexui legendum videtur *utriusq; servi.* Euthymius in cap. 25. Matth. *Duplicant ea, quæ sibi concredita sunt, omnes, qui proficiuntur ad salutem discipulorum facientes eos rursus præceptores aliorum.* Neque tamen hoc accipiendum exclusivè, quasi illi solum, qui in Ecclesiastico Ministerio constituti sunt, lucrum spirituale faciant, sed tantum *ἐξ ὧν χρεῖς*, quod ad illos præcipuè pertineat. Quotquot enim à Deo dona acceperunt, cujuscunque ea sint generis, sive Naturæ, sive gratiæ, sive corporaliæ, sive spiritualiæ; sive sanctificantia, sive ministrantia &c. debent & possunt illis lucrari, quæ tamen lucra dissimilia esse præsens hoc parabola membrum ostendit. Theophyl. in cap. 25. Matth. *Qui non solum sibi soli prodest, sive prudentiam habeat, sive divitias, sive potentiam & auctoritatem apud Reges, sive quamcunque aliam vel artem, vel facultatem, sed & alii vult prodesse, is duplicat, quod sibi datum est.* Nec illi præcisè inhærendum, quod qui quinque talenta acceperat, quinque alia; qui duo acceperat, altera duo, dicitur lucratus, qui verò unum acceperat talentum, in terram illud defodisse dicitur, quasi significetur; eos, qui summum in Ecclesia officium & maxima dona acceperunt, semper maximum facere lucrum; qui in inferiore officii gradu constituti & minora acceperunt dona, semper minus lucrari; qui paucula dona acceperunt, planè nihil lucrari; fieri enim potest, ut qui sunt in primo gradu constituti, exiguum, imo quandoque nullum faciant lucrum; qui in secundo, planè nullum; qui in tertio, aliquod, interdum etiam magnum in hac spirituali negotiatione acquirant lucrum, cum non omnium, qui of-

ficio vel donis pares, sit etiam par lucrum, cum que luci quantitas non semper respondeat quantitati donorum. Sed scopus Christi unicè hic respiciendus, qui in eo consistit, quod docere voluerit, quosdam donis à Deo sibi concreditis lucrari, quosdam verò minimè; & inter illos ipsos, qui donis suis lucrantur, alios copiosum, alios verò mediocre duntaxat lucrum facere; nec reprobari à Deo, qui non fecerit summum lucrum, sed gratuita illos accipere præmia; nec exigere Deum, ut qui donis fuerint æquales, æquale etiam lucrum faciant, sed fidelitatem & industriam etiam eorum, qui minus copiose lucrati fuerint, commendari & præmiis affici, id quod in simili parabola Luc. 19. v. 19. clarius exponitur, ubi non minus laudatur & præmiis afficitur is, qui ex decem minis quinque confecerat, ac is, qui ex decem minis decem alias confecerat, unde pulcherrimè dicit Hier. in c. 25. Matt. *Domino simili gaudio servum illum, qui duo tantum talenta lucratus fuerat, recipere, cum non consideret luci magnitudinem, sed studii voluntatem.* Quod ergo maximum lucrum tribuitur illis, qui acceperunt quinque talenta, h. e. maxima dona, mediocre illis, qui duo tantum talenta, h. e. mediocria dona acceperunt, quandoque abfonsio talenti, illi potius, qui unum; quam qui plura talenta accepit, in parabola attribuitur, propterea fieri statuendum. 1. quia plerumque fieri solet, ut qui preciosissima Dei dona, præsertim in spiritualibus acceperunt, maximum etiam ex illis lucrum faciant, ac raro accidit, ut otiosa apud eos quiescant Dei dona, qui copiose eadem affecerunt, quod si namque eis non salutariter utuntur, ad Dei datoris gloriam & Ecclesiæ ædificationem; plerumque illis abutuntur ad Dei ignominiam & Ecclesiæ destructionem. Ut *summa petunt venti*, sic Diabolus præcipuè insidiatur illis, qui clarissima dona acceperunt, eosque impellere conatur ad turpissimum donorum istorum abusum. 2. Contra verò plerumque fit, ut qui unum tantummodò talentum, hoc est, exigua & minimè præclara dona acceperunt, ea vilipendant, ac otiosa apud se quiescere patientur, sicut homo pauperculus florenum unum atque alterum raro confert ad negotiationem, sed ad usus necessarios secum asservat. 3. Eo ipso exaggeratur supina desidia illius servi negligentia, quod cum unum duntaxat talentum acceperit, minore cum labore ac periculo eo potuisset negotiari, quod cum facere recusaverit, pro laude exprobrationem, pro præmio plagas lucratur, quo ipso omnes, qui paucula duntaxat dona acceperunt, serio monentur, ut quantumcunque ac qualiacunque ea sint, non tamen illa otiose abscondant, sed studiose exerceant. 4. Si exemplum reprobationis & pænæ proponeretur in eo, qui quinque talenta acceperat, eademque in terra absconderat, potuissent illi, quibus unum duntaxat talentum est concredidit, hoc est, qui exigua dona acceperunt, cogitare, sibi ex otiosa donorum asservatione nihil metuendum periculi, sed illis tantum, qui quinque talenta, id est, maxima dona acceperunt. Quia verò exemplum reprobationis & pænæ proponitur in illo, qui unum duntaxat talentum acceperat, illudque in terram defoderat, ex eo, qui *quinque vel duo*, hoc est majora & præstantiora dona acceperunt, facile intelligere possunt, longè majus

majus malum sibi impendere, si donis suis non fuerint convenienter usi. Ideo etiam duo lucrantes, contra verò unus otiosus & inutilis servus introducit, quia omisso, cum sit privatio, non recipit gradus, boni verò plus vel minus lucrantur pro diversitate donorum vel etiam studii & industriae. 6. Quamvis major sit ignavorum & inutilium servorum numerus, quam fidelium & bonorum, tamen unius tantum pigri & duorum fidelium servorum. Christus in parabola mentionem facere voluit, ut ostenderet, nunquam defuturos gnavos & industrios servos, qui fidelem operam Ecclesiae praestarent. Proinde servi, qui ex talentis suis duplum lucrati dicuntur, admonent nos, ut ad summum ac maximum lucrum in hac spirituali negotiatione contendamus, ac tanquam boni dispensatores multiformis gratiae Dei 1. Pet. 4. v. 10. ex quolibet talento aliud lucremus, hoc est, si plura ac diversa dona à Deo accepimus, eniti debemus, ut quodlibet eorum ad Dei gloriam, Ecclesiae aedificationem & proximi salutem conferamus, adeoque ex singulis donis fructum longè uberrimum proferamus, eo enim sine plura praeter alia talenta nobis sunt data, sicut Christus dicit ad Apostolos Joh. 15. v. 16. Ego elegi & posuivos, ut eatis & fructum feratis, & fructus vester maneat, v. 5. qui manet in me & ego in eo, hic fert καρπὸν πολὺν, fructum. Ut singula talenta, hoc est, singula dona à Deo nobis sunt concessa, ita quoque de singulis rationem aliquando in iudicio exiget, sicut dicitur in simili parabola Luc. 19. v. 15. quod distributor minarum redierit, ac iussit vocari servos, quibus pecuniam dederat, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset. Singulis igitur donis ad spirituale lucrum comparandum utamur, cui enim multum datum, ab eo multum quaeritur, & cui commendaverunt multum, ab eo etiam plus repetent Luc. 12. v. 48. Pulchrè Greg. hom. 9. in Evang. Cum augetur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior atque ad servendum promior quis, debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspiciat in reddenda ratione.

3. Sed consideremus etiam tertium servum, pigrum illum Dromonem, qui nec negotiari, nec lucrum quaerere voluit. De eo sic loquitur parabola. Qui autem unum accepit (talentum) abiens fodit in terram & abscondit pecuniam domini sui. ἀπελθὼν in duobus Codicibus deest & ex idiotismo Hebraeorum quibusdam videtur redundare, sed ostendimus superius, significari hoc verbo, quod hic servulus in adibus locum tutum & ab accessu hominum remotiorem quaesiverit, in quem acceptum talentum defoderit, ne insidiis furum esset expositum. Apud Lucam dicitur, quod piger servus minam suam sudario involuerit, ac reposuerit, vel tangere eam veritus, tantum abest ut ad negotiationem eam uteretur. Quia verò talentum propter quantitatem non satis commodè sudario involvi potest, id eò in terram defossam dicitur, praeposterà profectò sapientia, debuisse enim hic servulus terram potius effodere & abstrusum in ea talentum erigere, ut negotiationis materia sibi suppeteret, quam talentum ab herò suo acceptum in terram defodere & abscondere. Utrobique autem apud Matthaeum & Lucam per defossionem talenti in terram & repositionem minae in sudario intelligendum relinquatur, quod hic

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda

piger servus non fuerit usus pecunià à Domino sibi concredita ad negotiationem, nec lucrum ex ea fecerit, imò quidem cogitavit facere. Qui enim pecuniam in terram defodit, non potest ex ea sperare lucrum, cum pecunia sit res sua. Naturà sterilia, ut loquitur Philosophus, nec proferat fructus naturales, ut agri, vinea, prata &c. sed mediante negotiatione civiles & ut J. Cti loquuntur, industriales fructus proferre potest. Quinam verò sunt, qui in sensu mystico talentum suum in terram defodiunt? Origenes exponit de illis, qui ministerium docendi in Ecclesia suscipere recusant, cum tamen donis ad illud necessariis divinitus sint instructi, quò accommodat dictum Apostolicum 1. Cor. 9. v. 16. *Ve mihi, si non evangelizavero. Tales sunt, inquit, qui neque movent, neque discutiunt, quae dicuntur, neque se ipsos ad prolificandas animas tradunt, sed latere volunt, quae acceperunt, & crediti sunt (quae ipsi sunt concredita) Si quando ergo videritis aliquem, qui virtutem quidem aliquam acquisivit & habet dicendi, & animas quantumcumque prolificantes & hanc virtutem occultat, ut tantummodo tradat verbum nudum, quod creditus est & accepit & depositum ejus domino suo, & vivit in obscuro multis ignotus etiam magna peccata habentibus & non se proferat in bono, quod à Deo accepit, quamvis habeat quandam religionem conversationis non vituperabilem multis, non dubites dicere, eum talem esse, qui unum talentum accepit & abscondit in terra.* Hoc procul dubio opposuit Origenes illis, qui jam tum amore vitae Monasticae docendi in Ecclesia munus sibi delatum recusarunt, quorum complures extiterunt. Hilarius accommodat ad Judaeos Christi fidem suscipere renuentes. *Qui unum talentum, inquit, accepit & in terram recondidit, populus est in lege persistens, totus carnalis & stupidus, & nihil spirituale intelligens, ut quem virtus praedicationis Evangelica non subeat, sed propter invidiam salvandarum gentium in terra receptum talentum absconderit, neque ipse utens, neque utendum aliis dispense, sed sufficere sibi legem existimet ad salutem &c.* Sed ostendimus superius, de illis, qui sunt in societate Ecclesiae, parabolam unice agere. Ambrosius in cap. 19. Luc. intelligit de illis, qui rationem, studio voluptatis obruunt & tanquam in fovea carnis abscondunt. Hieronymus in h. l. itidem applicat ad voluptuosos. *Nequam servus, inquit, terrenis operibus & voluptate, Dei praecepta neglexit & polluit, quamquam in alio Evangelista scriptum sit, quod in sudario ligaverit, id est, doctrinam patris familias molliter & delicate vivendo enervavit.* Eodem modo Autor imp. oper. *Abscondit, inquit, talentum suum in terra, qui accipiens notitiam Christi contemnit vitam spirituales & in terrenis actibus & deliciis conversans obruit illud in carne sua & sollicitudinibus mundi quasi spinis suffocat fidei suae bonum & non facit fructum.* Hoc est enim talentum in terra abscondere, quod est semen verbi inter spinas suffocare. Consentit Gregor. homil. 9. in Evang. *Talentum in terra abscondere est acceptum ingenium terrenis actibus implicare, lucrum spirituale non quaerere, cor à terrenis cogitationibus nunquam levare.* Theophylactus in cap. 25. Matth. *Qui talentum fodit in terram, id est, qui suae tantum utilitatis curam habet & non aliorum. Si bone mentis & studiosum hominem videris, qui ingenio suo ad negotiationes, dolos & terrena opera abutitur, de illo dicas, quod defoderit talentum suum sub terra, id est, in terrena opera.* Ex scopo parabolae & antithesi hujus servi ac reliquorum

simplicissima explicatio colligitur. Scopus parabola est, quod talentis acceptis debeamus negotiari & lucrari; ergo talentum in terram defodere, est dona sibi concedita non conferre ad negotiandum & lucrandum, sed defidia eadem abscondere. Opponitur hic servus reliquis conservis; quorum unus quinque alter duo talenta confecerat. Ergo talentum in terram defodere est nihil spiritualis lucri facere. Pater familias ad ignavum hunc servum postea dicit: *Oportuit te committere pecuniam meam mensariis, & veniens ego recipissem, utique quod meum est, cum usura.* Ergo in hac talenti defossione exprimitur lupina eorum negligentia, qui pecuniam spiritualement, hoc est, dona sibi concedita, non producunt in negotiationem. Id ipsum colligitur ex phrasi. Pecuniam, quam in terram defodimus, otiosam habemus, nec possumus eam uti ad negotiationem. Ergo qui dona sua otiose & infructuose apud se aservant, pecuniam domini sui in terram defodiunt. Pulcherrima est Theophylacti observatio in cap. 19. Luc. quod in phrasi apud Lucam idem significetur: *Dominus mortuus* (inquit) *sudario involutus fuit & Lazari facies in sepulchro sudario fuit obvoluta: merito igitur ignavus ille sudario inquit reconditum fuisse donum. Mortuum enim illud fecerat & inefficax, non evolvens neque lucrum faciens.* Ergo ignavus ille servulus est imago eorum. 1. qui in Ministerio Ecclesiastico constituti, in officio suo sunt negligentes, docendi officium aliorum humeris imponunt, ipsi contra in otio vivunt, sed secularibus negotiis occupantur de quibus jam olim quidam dixit, quod *ut in docendo & bene agendo vicaria aliorum opera utuntur, ita quoque salutem vicariam & personalem infernum sint habituri; qui non exaltant vocem suam instar tube, ut arguant peccata suorum auditorum* Esaia 58. vers. 1. qui majorem corporis sui, quam animarum fidei suae commissarum rationem habent &c. quod ipsum etiam de Magistratibus & patribus familiaribus in officio suo defidiosus intelligi potest. 2. qui *dona ministrantia* divina benignitate sibi concessa non excolunt, nec exercent, qui non utuntur illis ad Ecclesiae aedificationem, nec promovent illorum usu Dei gloriam, & proximi salutem Eccles. 20. vers. 32. *Sapientia absconsa & thesaurus aperiens, qua utilitas in utrisque?* Ubi probe notandum quod qui unum duntaxat donum sibi collatum tenet otiosum, nec expendit in usum, inter servos pigros & inutiles computetur. 3. qui donum renovationis negligunt, fidem non alunt meditatione verbi & piis precibus, qui non exercent se ipsos ad pietatem, qui sunt quasi non habentes, hoc est, ita se gerunt ac si nihil à Deo accepissent, uti Christus de ipsis loquitur. Paulus hoc vocat *gratiam Dei in vacuum accipere* 1. Corinth. 15. vers. 10. 2. Corinth. 6. vers. 1. *gratia Dei deesse* Hebr. 12. vers. 15. *gratiam Dei negligere* 1. Timoth. 4. vers. 14. *eam non exuscitare* 2. Timoth. 1. vers. 9. &c. 4. qui non sunt *κοινωνοὶ καὶ ἐπιμεταδοτοὶ* 1. Timoth. 6. vers. 18. *sed claudunt viscera sua coram egenis*, etiam si substantiam hujus mundi acceperint 1. Johan. 3. vers. 17. 5. qui otii causa ab Ecclesiae Ministerio abstinunt, nec succurrunt matri laboranti. Ambrosius in cap. 19. Luc. *Similiter ut dives, qui pecuniam suam non impertit pauperibus, ita etiam qui doctrinam suam non dividit imperitis, docere cum*

possit, haud mediocri reus est culpa. Chryostomus homil. 31. in Epistol. ad Hebraeos: *Si habenti pecunias & non largienti supplicium dominus comminatur, ut qui vales proximum commone, vel quolibet modo & minime fecit, quomodo non majoribus supplicis punietur? illic enim corpus nutritur, hic autem anima. Illic à morte servas temporali, hic vero ab aeterna.* 6. Breviter, parabola haec generaliter omnes respicit, qui nec pecuniam, nec verbum, nec auctoritate, nec quovis alio modo proximis conferunt, sed omnia retinent, ut loquitur Chryostomus homil. 79. in Marth. *Terram ipsi summet defidiosum servum intellige, in seipso enim retinuit, quod ad operationem datum erat, ut sic nec sibi nec alius utilis fieret* inquit Euthymius in cap. 52. Matth. Maldonatus addit: *Possit in hoc sermo etiam intelligi eos, qui nolunt consilia Evangelica amplecti praetextu eo, quod nec praecepta servare possint.* Sed quid de consiliis Evangelicis statuendum sit, alibi fuit expositum. Rectius dixisset, accommodari posse ad eos, qui praetextu consiliorum Evangelicorum & operum supererogationis, caritatis officia proximo in vita communi debita subterfugiant, otio & quieti suae consulunt, nec ullum habent communis aedificationis respectum &c. Variarum autem potuerunt esse causas, propter quas servus hic talentum acceptum in terram abscondiderit; videlicet vel ex defidia & negligentia, vel ex nimio timore perdendi, vel ex pusillanimitate, vel ex praepostero herilis severitatis metu, vel ex invidia, vel ex malitia, sed veram causam ostendit Christus, quando eum vocat *servum malum & pigrum*, sic varia possunt dari causas, propter quas quidam dona sibi concedita abscondant, sed quaecumque tandem illae sint, neminem poterunt coram Dei judicio excusare, cum ad malitiam & pigritiam omnes tandem redeant. Quemadmodum etiam multis modis peccavit defidiosus iste talenti defossor, nam 1. egit contra mandatum sui domini. 2. contra finem distributionis talentorum. 3. non passus fuit se permoveri exemplo conservorum strenue negotiantium. 4. quò facilius ipsi fuit negotiatio in uno talento, quam reliquis in quinque vel duobus, eò gravius peccavit, laborem negotiandi etiam in unico talento subterfugiens. 5. defidiam suam longo tempore continuavit, quia post multum temporis demum rediit dominus: ita quoque multis modis peccant, qui dona à Deo sibi concedita non excolunt nec exercent, nam 1. repugnant Dei voluntati & mandato. *Negotiarii*. 2. agunt contra finem, propter quem dona sua Deus ipsis concidit. 3. contemnunt exempla Sanctorum, qui in hac spirituali negotiatione fuere operosi & industrii. 4. quò minora acceperunt dona, eò gravius peccant, dum in illis ritè collocandis laborem subterfugiant. 5. otio & securitati quandoque satis diu indulgent, nec de reddenda ratione in judicio cogitant, cum tamen dies judicii ideò differatur, ut homines ad Deum convertantur ac donis suis rectè uti discant.

In tertia parabola parte describitur eventus inaequalitas. Sicut in collocandis talentis servi isti fuere dispares, ita quoque dispares & inaequalem fortuntur eventum. Sanè in eo sunt pares. 1. quod omnes redditum Domini sui experiuntur. 2. quod omnes ad reddendam de collocatione talentorum rationem vocantur, sed disparem audiunt sententiam

tentiam & inæqualem fortiuntur exitum. 1. Reditus Domini sic describitur. *Post multum verò temporis venit Dominus servorum illorum.* Circa hunc reditum tria sunt notanda. 1. *adjunctum temporis;* quod *post multum temporis Dominus redierit.* Particula *de* opponit profectioem illius Domini, hoc sensu. Peregrè quidem abierat ille paterfamilias, qui talenta sua inter servos distribuit, interim tamen non in perpetuum fuit absens, sed certo tempore rediit. Opponit etiam tacitis malorum & infidelium servorum cogitationibus, quæ in precedente parabola Matth. 24. vers. 47. sic exprimuntur. *Dixit servus malus in corde suo, moram facit Dominus meus &c.* ut sit sensus. Quamvis infideles servi sibi persuaserunt, dominum suum nunquam rediturum, tandem tamen *post multum temporis rediit.* In Græco ponitur verbum præsentis temporis *ἔρχεται*, quod Latina versio reddidit in præterito, ut colligitur ex sequentibus verbis; *venit Dominus & posuit rationem.* Sed præsens est emphaticum, quia Christus voluit nos quasi in rem præsentem deducere, unde reditum patrisfamilias sic enarrat, ac si ante oculos nobis sistat. Nec absurdè cogitur, hoc verbo præsentis temporis insinuari repentinum & insperatum Domini adventum, Servis negotiantibus & nihil tale cogitantibus ecce ex improvviso supervenit Dominus, a quo talenta acceperant. Quid in sensu mystico per hanc temporis circumstantiam denotetur, de eo variant Interpretum sententiæ. 1. Plerique eò abeunt, quod Christum tacitè significare voluerit, *multum temporis lapsurum inter suam in celos ascensionem & reditum eccæ ad judicium.* Hieronymus in hunc locum id quod necessariò cum hac limitatione accipiendum, quod respectu nostræ computationis longum sit, cum Dei existimatione sit breve & exiguum. Psalm. 90. vers. 4. 2. Petr. 3. vers. 8. Verum quidem est, aliquot annorum centurias inter ascensionem Christi in celum & reditum ipsius ad judicium interjectas esse, sed quod Christus id ipsum Apostolis insinuare voluerit, de eo non immeritò dubitatur, cum superius ostenderit, Christum de suo ad judicium reditu semper sic fuisse loqui solitum, ac si viventibus adhuc Apostolis sit venturus, cujus rei aliquot rationes suo loco exposuimus. 2. Quidam existimant, tacitè innui, quod Deus vitam longævam illis concedere soleat, qui præclaris suis donis Ecclesiæ inservire possunt. Origenes tractat. 33. in Matth. *Post multum temporis venit, postquam dimisit aptos ad negotiandum animarum salutem, & ideo forsitan non facile invenitur quis ex eis, qui apti fuerint, ad hujusmodi opus, ut citò transeat ex hac vita, sicut est manifestum ex eo, quod & Apostoli senescerunt, ex quibus dicit ad Petrum: Cum senueris, extendes manum tuam.* Johan. 21. vers. 18. *de Paulo autem dicitur est Philemon, vers. 9. nunc autem ut Paulus senex.* Potuisset etiam addi exemplum Johannis Evangelistæ, qui in extrema senectute Ephesi mortuus. Sed non est universale ac perpetuum, illos, qui præclaris à DEO instructi sunt donis, esse *μακροβίους*, quandoq; enim morte præmaturâ abripiuntur, ut exemplum Johannis Baptistæ ostendit. Adde quod non solum respectu eorum, qui talentis suis lucrati fuerant, sed etiam respectu illius servi, qui talentum suum in terram defoderat, post multum temporis

dominus rediisse dicitur. 3. Quidam statuunt, Christum occurrere voluisse scandalo ex dilatione reditus sui temporibus novissimis orituro. 2. Petr. 3. vers. 4. Ne enim mora diuturnior causam daret negligentia, quasi nunquam esset rediturus, significare voluit, se certò ad judicium rediturum, ut reditus ille diu differri videatur. 4. Simplicissima explicatio colligitur *ex scopo parabola.* Voluit CHRISTUS desidia illius servuli, qui talentum otiosum apud se asservaverat, accusare, quod non potuerit desidia suæ obvertere, defuisse sibi tempus ad negotiationem sufficiens & necessarium, cum post multum temporis demum dominus rediisse dicatur. Significatur igitur, dominum *μακροθυμείν εἰς ἡμᾶς* 2. Petr. 3. vers. 9. & ut impiis concedit sufficiens tempus poenitentia, ita quoque piis concedere tempus sufficiens ad spirituales negotiationem, neque quenquam jure conqueri posse, quod nimis maturè ac præproperè ad rationem reddendam, sive per mortem sive per novissimum judicis adventum evocetur. Quamvis enim *omnia seculorum spacia desinita, si æternitati comparentur, non exigua estimanda sint, sed nulla, ut loquitur Augustinus lib. 12. de civit. Dei cap. 22. tamen si respectus habeatur ad lucrum spirituale, quod verè pii ac fideles, etiam in brevissimo spacio ad vivendum, & in his terris commorandum ipsis dato acquirere possunt, illud satis longum est.* Nullum tempus breve est, in quo felix æternitas & æterna felicitas vel acquiritur, vel amittitur, quò referri possunt pulcherrimæ sententiæ Senecæ lib. de brevitate vitæ cap. 1. *Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vitæ & in maximarum rerum consummationem largè data est, si tota bene collocaretur &c. Non accepimus brevem vitam, sed reddidimus, nec inopes ejus sed prodigi sumus. Sicut ample & regie opes ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur, aut quamvis modicæ, si bono custodi tradite sunt, usu cresunt: ita etas nostra bene disponenti multum patet.* cap. 2. *Vita, si scias uti, longa est &c.* Quemadmodum igitur in regionem longinquam paterfamilias apud Lucam abiisse dicitur, videlicet ut fidem & diligentiam servorum magis exploraret, ita quoque hic apud Matthæum ob eandem causam *post multum temporis rediisse dicitur.* In simili parabola Luc. 20. vers. 9. paterfamilias, qui vineam suam agricolis elocavit, dicitur *ἀποδημῆσαι χρόνος ἰκανός* peregrè abfuisse multis temporibus, ubi *ἰκανός* ponitur pro *πῶλος*, hoc loco dicitur paterfamilias rediisse *μετὰ χρόνον πῶλον*, ubi vice versâ *πῶλος* ponitur pro *ἰκανός*, utrobique enim significatur & cultores vineæ ad colligendos fructus, & servos, quibus talenta concredita, ad negotiandum & lucrandum satis temporis habuisse, neque quicquam suæ vel ignavia vel malitiæ prætexere, posse.

2. *Subjectum, quis redierit: Post multum temporis venit dominus servorum illorum.* Ergo per suam abitionem non desiit esse familiæ suæ dominus, nec servis bona sua in peculium tradidit dominum in illos transferendo, sed ipse mansit dominus, illi verò, quibus bona sua in lucrum elocanda tradidit, mansere servi. In sensu mystico signifi-



significatur, Christum in sua ad cœlos ascensione non deposuisse cœli terræque dominium à Patre cœlesti sibi traditum, sed potius per ascensionem in gloriam suam ingressum Luc. 24. vers. 26. unde immediatè ante suam ascensionem dicit Matth. 28. vers. 18. *mibi data est omnis potestas in cœlo & in terra*, nec deposuisse administrationem suæ domus, quæ est Ecclesia, sed ejus perpetuum manere Dominum. Contra verò domesticos hujus patrisfamilias perpetuò manere servos etiam in die judicii, quando in gaudium Domini sui intrare jubebuntur, hoc est, in vitam æternam recipiuntur, Quamquam enim tunc non ampliùs erunt *venundati sub peccatum* Rom. 7. vers. 14. *servientes carne* sive respectu carnis legi peccati vers. 25. sed ab hac servitute penitus liberabuntur, tamen manebunt *servi Dei & Christi*, sicut dicitur Apoc. 22. vers. 3. in cœlesti Hierosolyma erit thronus Dei & Angni; & servi ejus servient illi, & videbunt faciem ejus, nomen ejus in frontibus eorum. Origenes observat, quod servi non dicuntur ad patremfamilias venisse, sed paterfamilias ad eos rediisse dicitur, quia Christus tùm per mortem ad nos venit, & animas nostras è corporibus ad se evocat, ut non ampliùs peregrinemur à Domino, sed simus *presentes apud ipsum* 2. Cor. 5. v. 6. & 8. tùm in die judicii omnes homines ante tribunal suum congregabit ad reddendam rationem. Inde jam

3. Subjicitur *finis adventus*, Cur paterfamilias redierit Apud Matthæum disertis verbis id non exprimitur, sed ex iis, quæ post reditum suum paterfamilias cum servis egit, intelligendum relinquitur. Ad reddendam rationem eos vocavit, utiq; ergo ob rationes cum illis ineundas rediit. Sed in simili parabola Luc. 19. v. 15. hic finis adventus verbis claris & perspicuis exponitur. *Et factum est, ut nobilis ille homo rediret accepto regno & jussit vocari servos suos, quibus dedit pecuniam, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset, τίς τί διεπραγματεύσατο*, quid quilibet eorum negotiando effecisset, quid quisque lucratus fuisset. Finis igitur secundi ac novissimi adventus Christi est exactio rationum à servis suis, sicut in Symbolo Apostolico confitemur, *Christum è cœlo rediturum ad judicandum vivos & mortuos*. In primo suo adventu non venit, ut judicaret vel rationes exigeret Johan. 3. vers. 17. cap. 12. v. 47. sed ut dona sua distribueret, in secundo autem ac novissimo suo adventu venit ut ab omnibus rationem exigat, quomodo donis sibi concreditus usi fuerint. Inde est, quod cùm hoc Christi adventu novissimo extremum judicium immediatè in hac parabola conjungitur, quando 2. de paterfamilias dicitur, *venit Dominus servorum illorum & ponit cum eis rationem*. Latinus reddidit in præterito, *posuit rationem*, sed in Græco textu iterum est præsens, *συναίρει* subducit, *ponit*, *confert* &c. *rationem*, ita enim verbum *συναίρειν* peculiari quadam significatione usurpatur, quando cum nomine *λόγος* conjungitur. Matth. 18. vers. 23. Ergo dies adventus Christi erit etiam dies reddendæ rationis. Quamvis verò quandoque in hac vita examen de donorum usu in foro conscientie Christus instituat ac fidelitatem & sedulitatem piorum servorum augmento donorum ex gratia remuneretur, contra verò

gnaviam & socordiam infidelium servorum privatione donorum puniat (unde Autor imperf. operis homil. 53. hunc adventum interpretatur *de spirituali Christi adventu, quo frequenter solet venire ad omnes Christianos, quibus gratiam dedit sue cognitionis & discessit eos & ponit rationem cum eis, &c.*) quamvis etiam in morte cujusque anima ad reddendam rationem vocetur & pro diversitate status, in quo ex hac vita decessit, unusquisque domicilium vel lucis & latitiæ, tenebrarum & tristitiæ fortiatur, tamen judicium universale, in quo ab omnibus conjunctim rationes exigentur, sequetur demum in novissimo Christi adventu, ad quem potissimum Christus hoc loco respicit, quando paterfamilias in suo reditu rationem cum servis suis posuisse asserit. Meminerimus igitur ac perpetuò quidem meminerimus, de donis divinitus nobis concessis rationem aliquando judici Christo esse reddendam. Rom. 14. vers. 10. 2. Corinth. 5. vers. 10. quando scilicet in die judicii unicuique nostrum dicitur: *Redde rationem villicationis tue* Luc. 16. vers. 2. Nequaquam cogitemus, dona à Deo nobis data esse eo modo propria nobis facta, ut pro arbitrio illis vel uti vel otiose ea assertare possimus, sed ea conditione ac lege nobis data sunt, ut rationem illorum Deo datori aliquando reddamus. Nimirum hic est fons & causa nostræ securitatis vel certitudinis, quòd non cogitamus de die rationis reddendæ, sed existimamus de nostro fieri jacturam, si lucrum ex bonis Domini facere negligimus, cùm tamen ut fors ipsa, ita quoque lucrum sit ejus, qui sortem nobis concessit, ut per eam lucrari possimus.

Videamus verò, quomodo in rationibus reddendis singuli servorum steterint. 1. Qui quinque talenta acceperat. primus ad rationes vocatur, quia cui multum datum, ab eo quoque multum repetetur. Luc. 12. vers. 48. ut proinde nemo ob excellentiam & copiam donorum sese extollere, sed de ratione potius reddenda sollicitus esse debeat. *Et accedens is, qui quinque talenta acceperat, attulit altera quinque talenta, dicens: Domine quinque talenta lucratus sum per ea. At, autem illi Dominus ejus. Euge serve bone & fidelis super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Duo hic occurrunt membra. 1. Primi servi ratio. 2. Domini approbatio. Servi ratio sic describitur. *Et accedens is, qui quinque talenta acceperat, &c.* ubi ponitur pro tunc, sensus enim est, quod Domino rationes à servis exigente mox præstò fuerit, qui maximum talentorum pondus acceperat & attulerit altera quinque. Verbum *προσέθηκεν* vulgata reddidit, *obtulit*, sed rectiùs redditor, *tulit vel attulit*. Syrus habet verbum *קרב* quo in alia conjugatione usus erat pro Græco *προσέθηκεν* non sine emphasi. *Appropinquavit, qui quinque talenta acceperat & appropinquare fecit altera quinque talenta.* Τα άλλα vulgata reddidit *alia*, sed Latinus dicitur *altera*. Sic ergo & sortem ipsam salvam & honestam ac elegans lucrum ex sorte comparatum ac sortem ipsam ex æquans secum affert, dicens: *Domine, quinque talenta μοι παράδωκας*

*δωκας mihi tradideras, mea fidei concredideras, ut iis ad negociandum uterer, ecce altera quinque talenta lucratus sum per ea.* Syrus more usitato vertit, *Domine mi*, quod blandientis verbum. Fruitur hic servus bonâ ac lætâ conscientia, novit se suo rectè perfunctum esse officio, ideo faciem Domini cum gaudio intuetur, eumque suum Dominum vocare non erubescit. Ac sicut in negociando suam comprobatum dederat industriam, sic in afferendo secum lucro suam probat fidelitatem, nihil enim vel ex forte vel ex lucro sibi reservat, sed lucrum omne Domino suo offert, à quo fortem lucri genitricem se accepisse noverat, eo ipso professus, se omnem suam operam domino debere, cum sit servus, & omne, quod habet, à domino suo acceperit. Græci quidam Codd. pro *ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς* legunt *ἐπεκέρδησα ἐν αὐτοῖς*, *superlucratus sum in illis*, ubi ἐν more Hebraico poneretur pro *ἐπ' αὐτοῖς*, per illa. Vulgatus Interpres simpliciter legisse videretur, *ἐπεκέρδησα* sine addita *ἐν αὐτοῖς*, *ἐπεκέρδησα* *ἐν αὐτοῖς*, reddidit enim, *alia quinque superlucratus sum*. Sed probatissimi Codd. legunt, *ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς*, *lucratus sum supra vel ultra ea*, ut *ἐπ' αὐτοῖς* positum accipiatur, quo modo etiam Syrus reddidit, *lucratus sum* *עליו* *prater ea, vel super ea*. Probè verò notandum, quod in simili parabola servus ille fidelis, qui ex una mina decem minas acquisiverat, non dicat: *Domine ecce decem minas acquisivi, sed minâ tuâ decem minas acquisivi*, ubi non suâ tribuit industriae lucri acquisitionem, sed dominicæ substantiæ. Ergo quod hoc loco servus dicit: *Ecce altera quinque talenta lucratus sum super ea*, non est eo sensu accipiendum, quod suæ operæ & industriae lucrum illud vendicet, sed quod fidelitatem suam Domino probare satagat, unde in præcedentibus dicitur, quod is, qui quinque talenta acceperat, operatus fuerit *ἐν αὐτοῖς* in eis & consecrerit *altera quinque talenta*, ubi itidem per sortem lucrum dicitur acquisitum. Hæc in mystico sensu pulcherrimam præbent observationem, videlicet quod renati dona à Deo sibi concessa, gnaviter exercere debeant, interim tamen augmentum donorum & lucri spiritualis acquisitionem non debent suis viribus vel suâ industriae, sed divinæ gratiæ efficaciter in ipsis operanti tribuere, quam explanationem nobis suppeditat Apostolus 1. Cor. 15. v. 10. *Gratia Dei sum quod sum, & gratia ejus, quæ scilicet mihi data & in me collata, non fuit νεκὴ inanis vacua & sine fructu, sed περισσότερον amplius illis omnibus (reliquis Apostolis) laboravi* (tùm quia gentes Apostolus catechizaverat, cum reliqui Apostoli Judæos docerent, qui Moysen & Prophetas habebant Gal. 2. vers. 7. quam rationem dat Irenæus lib. 4. cap. 41. tum quia pluribus in locis Apostolis prædicaverat Rom. 15. vers. 19.) *non ego autem, sed gratia Dei, quæ mecum scilicet est, ut patet ex articulo ἡ οὐκ ἐμὴ, quem Latinus Interpres neglexit, cum tamen sit emphaticus. Sensus enim est, Deus ex gratia mihi suppeditavit vires, quibus potuerim plus omnibus laborare. Idem de se statuunt omnes Ecclesiæ doctores, quin & omnes verè pii donis Dei rectè utentes & lucra spiritualia ex eis comparantes. Sunt quidem in usu donorum su-*

*νεκὴ & οὐκ ἐμὴ* 1. Corinth. 3. vers. 9. unde cum Apostolo dicere possunt, *laboravi, bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi* 2. Tim. 4. vers. 7. interim quia in hac spirituali negotiatione non agunt suis propriis & naturalibus, sed novis à Spiritu sancto donatis viribus, quia legitimus donorum usus non minùs est gratiæ divinæ opus, quàm ipsa dona, idè ex vera humilitate suam indigentiam & imbecillitatem naturalem agnoscere & cum Apostolo semper subjicere debent, *non ego autem sed gratia DEI quæ mecum fuit & in meac per me efficaciter egit, quo modo etiam autor libri Sapientiæ in persona Salomonis orat. cap. 9. vers. 10. Emitte sapientiam de sanctis caelis, & à sede gloriæ tuæ mitte illam, ut præfens mihi laboret &c.* quò etiam pertinet admonitio Bernhardi ferm 13. in Cant. *Fidelis reverà famulus es, si de multa gloria Domini tui etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te nihil manibus tuis adherere contingat.* In eo igitur acquisitio lucri spiritualis ab acquisitione lucri temporalis plurimum differt. Quando paterfamilias talenta sua inter servos distribuit, tum in posterum eorum usum libera servorum voluntati penitus reliquit, non contulit eis prudentiam, judicii dexteritatem, fidelitatem, quâ in negociando uterentur, nec concessit ipsorum laboribus incrementum, quia hoc non est in manu terreni alicujus patrisfamilias positum, sed quando cœlestis paterfamilias dona sua inter nos distribuit, tunc simul dat novas, interiores ac spirituales vires, ad salutarem illorum donorum usum summè necessarias, quas ex nobis tanquam ex nobis non habemus, ac ipse est, sine quo nihil possumus facere Joh. 15. vers. 5. Similiter, quod servus hic quinque talentorum lucrator sua lucra enumerat, non est ad rem per parabolam significatam accommodandum, sensu eo, ac si electi in die judicii sua opera & salutarem donorum usum publicè prædicaturi sint. Nam 1. in hoc ipso cap. 25. vers. 35. Christo judicii hoc tribuitur, quod piorum opera publicè coram omnibus sit prædicaturus. *Esurivi & dedistis mihi cibum* Matth. 10. vers. 32. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum, in die scilicet judicii, ut colligitur ex Marc. 8. vers. 38. Luc. 9. vers. 26.* 2. Electi potius admirabuntur, opera sua esse in tanta apud judicem æstimatione, ut publicè prædicentur Matth. 25. vers. 37. *Domine quando te vidimus esurientem & pavimus?* 3. coram oculis judicis omnia erunt manifesta Heb. 4. v. 13. neque quidquam ipsi erit occultum vel incognitum, unde oculi ejus dicuntur esse *tanquam flamma ignis* Apocal. 1. vers. 14. quia ignis luce suâ omnia collustrat. 4. quinimò hic judex omnia tunc in lucem producet & *occulta cordium consilia manifestabit* 1. Corinth. 4. vers. 5. *nihil hic tempore est opertum, quod non revelabitur, nihil occultum, quod non sciatur, in die scilicet judicii* Matt. 10. v. 26. 5. Autor imperf. operis d. l. observat, hunc servum prius enumerare dona, quàm lucra. *Bonus (inquit) servus non quasi glorians in opere suo primum lucri talentorum memoriam facit, sed primum memorat, quæ accepit, postea quæ invenit, ut ostendat non studii sui aut laboris esse, quod acquisivit, sed beneficiorum Domini sui, quibus acquisivit* *Tanquam si dicat, Domine ego quantum ad meum studium* *& labo-*

et laborem, nec modicam quidem iustitiam facere potuissem, nisi gratia tua fuisset mecum. Ideo vero hæc particula additur, quia terrenus paterfamilias non potest ex se & per se cognoscere, quantum quisque servorum lucratus sit, nisi ipsimet servuli lucra sua in lucem praeferant, sed celestis paterfamilias nullam habet opus commemoratione ac uniuscujusque conscientia in die iudicii monstrabit, quid in hac vita egerit, quantum lucri Domino suo fecerit vel facere praefermiserit. Illud ergo duntaxat significatur, quod lucra piorum spiritualia in die iudicii non solum iudici, sed etiam ipsis piis, imò omnibus Angelis & hominibus futura sint manifesta, sicut Apostolus Philip. 2. v. 16. dicit, Philippensium; quos ad Christum per prædicationem Evangelii converterat, sanctam conversationem fore sibi eis καὶ ζωὴν in die Christi, id est, in die, quo CHRISTUS ad iudicium veniet, quod non in vacuum cucurrerit, nec in vacuum laboraverit; quod autem de Philippensibus in specie dicit, illud in genere de omnibus à se ad Christum conversis intelligendum relinquit propter paritatis rationem, & quod de se Apostolus hoc loco testatur, illud de reliquis Apostolis omnibus, imò etiam de omnibus fidelibus Ecclesiae doctoribus dici potest, quæ de re Gregorius homil. 17. in Evangel. præclare sic dicit. *Pensemus, qui unquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo opere nostram increpatione correpti, penitentiam egerunt, quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit? Pensemus, quod lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento ab eo ad negotium missi sumus. Et enim dicit. Negotiamini, dum venio. Ecce jam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? quæ ejus conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ discriptionis diem, quo iudex veniet & rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate terribili inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus, ostendetur. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaïam, ibi Johannes Asiam, Thomas Indiam, in conspectum sui iudicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot Pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri, quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui Pastorum nomen habuimus & oves, quas nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus. Hic Pastores vocati sumus & ibi gregem non ducimus? &c. In hac igitur vita spiritualia lucra comparemus, prædicatione verbi & conversationis exemplo multos Christo lucrificamus, ut de nobis quoque dici possit, quod ex quinque talentis altera quinque lucrati sumus.*

2. Domini approbatio constat tum commendatione verbali, tum præmiatione ac remuneratione reali, quam Dominus primum servo promittit,

postea re ipsa præstat. *Ait autem illi Dominus: Euge serve bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Euge bene seu recte vel ponitur εὐδαιμονίας, ut subaudiatur verbum εὐνοίας aut εὐχῆ aut simile quiddam, recte fecisti, bene se habet, vel est vocula congratulantis, applaudentis & collaudantis eum, qui bene suo erat functus officio, est unde gaudeas & exultes. LXX. utuntur pro εὐχῆ Ezech. 21. v. 15. quod alibi reddunt per εὐχῆ Job. 39. v. 25. Pl. 34. v. 24. & 28. Pl. 39. v. 21. Pl. 69. v. 4. &c. quo modo etiam Latinus Interpres hic reddidit: Euge serve bone & fidelis. Est autem Græcis εὐχῆ adverbium laudantis & approbantis, q. d. recte sanè; Latinis interiectio laudantis, congratulantis & exultantis. Sed Græci Codd. non habent εὐχῆ, sed εὐ, quod Syrus expressit per ܘܢܝܢ Vocat autem servum bonum & fidelem, quod Dionysius Carthusianus ita explicat, ut prius referat ad habitum, posterior ad actum, sed rectius dicitur, posterior esse εὐχῆ prioris inde enim, atque ideo ipsum pronunciat bonum, quia fideliter suo functus erat officio ac domini sui lucrum fideliter promoverat, quæ fidelitas vel unice vel præcipue in œconomio requiritur 1. Cor. 4. v. 2. unde etiam statim subjicitur, super pauca fuisti fidelis. Vulgata versio inseruit particulam quia, sed ea nec in Græco nec in Syriaco habetur ac rectius omittitur, quia dicentis majestatem concisio sermonis arguit. Quod super pauca fidelis fuisse dicitur, comparatè accipiendum, quia respectu tum reliquorum bonorum, quæ paterfamilias sibi reservaverat, tum illorum quæ præmii loco ob fidelem administrationem ipsi daturus erat, pauca erant, in se autem & absolute loquendo erant satis multa ac preciosa, quinque scilicet talenta. Super pauca bona administrationi & fidei tuæ concredita fuisti fidelis, bene & cum fructu es illis usus, lucrum domini tui eximie promovisti, super multa bona possidenda & administranda te constituiam, non eris amplius œconomus rationem administrationis redditurus, sed heres ac dominus bonorum tibi tradendorum, Intra in gaudium Domini tui. Quidam hæc verba ad parabolam, quidam ad rem per parabolam significatam referunt. Juxta priorum explicationem erit sensus: Intra in gaudium, h. e. in conclave gaudii Domini tui destinatum socius eris & consors gaudii convivialis, particeps convivii, quod herus tuus instituit, h. e. quod ego instituiam, loquitur enim de se in tertia persona juxta usitatum Hebraicum, qui tamen hoc loco singularem habet emphasin, servo enim nihil gratius nec jucundius, nec magis honorificum obtingere potest, quam convictus Domini participem fieri, unde Jcti recensent speciem mandationis per accubitum servi à Domino invitati. Laurent. Pignori in h. l. sic commentatur: Hæc verba vix aliter intelligi possunt, quam de diæta sive convivio, quod Dominus vel appellasset vel inscripsisset χαρὰν. Probari posset hæc interpretatio: 1. ex verbo ἀσπάζεσθαι, quod nomen gaudii de loco hilaritati conviviali destinatum accipiendum esse ostendit. 2. ex antithesi. Servum otiosum ἐκβάλλετε, ejicite in tenebras, h. e. in locum tenebrosum. 3. ex eo quod Esth. 9. v. 18. χαρὰν poni videtur pro ܘܢܝܢ quod proprie significat convivium, in quo potus ad hilaritatem sumitur. 4. ex collatione cum Luc. 12. v. 37. Beati servi illi, quos*

quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen. dico vobis, quod precinget se & faciet illos discumbere & transiens ministrabit illis, ubi videtur describi illud gaudium, in quod servus intrare jubetur. Sed rectius dicitur, Christum in his verbis declinare ad rem per parabolam significatam, ut colligitur ex antithesi. Quando enim malus & piger servus ejici jubetur in tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium, manifestum est, hoc pertinere ad rem per parabolam significatam, cum hæc sit usitata pœnarum infernalium descriptio Matth. 8. v. 12. cap. 13. vers. 42. & 50. cap. 22. vers. 13. cap. 24. vers. 51. Luc. 13. v. 28. \* Pari igitur ratione verbis hæc, intra in gaudium Domini tui, æternæ vitæ beatitudo describitur infernalibus pœnis *ἐν τῆς ἑλκεῶς* opposita. Queritur autem, quare Christus hac phrasi cœlestia & æterna beatorum bona describere voluerit? 1. Beatitudinem vocari gaudium usitatissimum est in Scripturis, quia ex beatifica DEI visione, quæ est summum beatorum in vita æterna præmium, orietur in cordibus ipsorum ineffabilis læticia & exultatio Psal. 16. v. 11. Psal. 17. vers. 15. Psal. 22. v. 26. Psal. 36. v. 9. Psal. 68. vers. 4. Psal. 84. v. 3. Psal. 126. v. 2. Esa. 25. v. 8. c. 35. v. 10. cap. 61. v. 7. cap. 65. vers. 18. & 19. cap. 66. vers. 14. Johan. 16. vers. 22. 1. Petr. 1. v. 8. cap. 14. vers. 13. 1. Joh. 1. vers. 4. Epist. Judæ vers. 24. Apoc. 19. v. 7. quorum dictionum emphasis expendimus in tract. de vita æterna §. 64. 2. Gaudium illud vocatur ipsius Dei & Christi gaudium propter varias rationes. Primò quia gaudium illud præstat Deus per seipsum, non per creaturas, cum ipse tunc futurus sit *omnia in omnibus* 1. Corinth. 15. vers. 28. Cum Deus sit summum & infinitum bonum, summa dulcedo, summa suavitas, &c. ideo ex Dei visione non potest non oriri ineffabile gaudium & inexplicabilis voluptas. Possunt quidem etiam alia dari causæ, propter quas beati in vita æterna gaudebunt, videlicet reliqua vitæ æternæ bona tam interna quam externa, tam corporis quam anime, tam privativa quam positiva electis aliquando conferenda. Gaudebunt enim electi propter loci amenitatem, quam possidebunt; propter jucundam societatem, in qua regnabunt; propter corporis glorificationem, quam habebunt; propter mundum, quem contempserunt, propter infernum, quem evaserunt, inquit Bonavent. in diæta salutis tit. 9. cap. 50. gaudebunt infra se de cœli & creaturarum pulcritudine; intra se de corporis & anime glorificatione; juxta se de Angelorum & hominum associatione, inquit Ludolp. Carthuf. part. 2. de vita Christi cap. 88. interim tamen hæ causæ gaudii omnes sunt secundaria & minus principales, beatifica Dei visio erit primum & summum gaudii principium, ex quo reliquæ gaudii causæ omnes oriuntur. Secundo quia Deus hoc gaudium in seipso gaudet. Sicut Deus est beatus in seipso & per seipsum, ita quoque gaudium habet in seipso utpote summo bono. Quando igitur in ipsum Domini gaudium electi dicuntur admittendi, significatur, quod admittendi sint ad fruendum Deo, quodque quietem cordis in ipso Deo sint habituri, quia gaudium est quies animi in bono adepti. Hieronymus in cap. 25. Matth. Quid potest esse majus fideli servo, quam esse cum Domino & videre gaudium Domini sui? Thomas in comm. h. l. Intra in gaudium Domini tui, hoc est, gaude

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

de eo, quo gaudet, & de quo gaudet Dominus tuus, scilicet de fruitione sui ipsius. Tunc gaudet homo ut Dominus, cum fruatur ut Dominus. Tertio juxta Theophylactum in h. l. gaudium Domini dicitur incessabilis læticia, quam habet Deus gaudens in operibus suis, sicut David dicit Psal. 104. v. 31. Tali igitur gaudio gaudent sancti in operibus suis lætantes, sicut & peccatores dolent in operibus propriis, & sancti gaudent, quod tam divitem habeant Dominum. Quarto Euthymius per gaudium Domini *μετῶν πνεύματος* ipsam beatitudinem intelligit, ut sit sensus: Intra in domum Domini tui plenam omnibus rebus, quæ delectationem & gaudium afferre possunt, quia in cœlesti domo nihil quicquam occurrit, quod molestiam parere possit, sed quicquid in ea est, summum gaudium & summam voluptatem parit, quo sensu vox gaudii videtur accipi Joh. 15. v. 11. Ut gaudium meum sit in vobis, & gaudium vestrum impleatur, hoc est, ut plenè fruamini meis bonis, &c. interim manet illud, quod beatitudo cœlestis primario ac principaliter vocetur gaudium Domini tum ratione causæ efficientis, quia ab ipso Domino proficitur, tum ratione objecti, quia in ipso Domino percipitur. 3. In gaudium illud beati dicuntur intrare. Primò sicut Psal. 69. vers. 28. in justitiam Domini dicuntur ingredi, qui justitiæ illius participes fiunt, sic eadem phrasi Hebraicâ in gaudium Domini intrare dicuntur, qui gaudii cœlestis participes & consortes redduntur, ex quo apparet, quod posterius membrum sit quoddammodo *ἐγγρημνύ* prioris, hoc enim est servum super multa constituit, ipsum fieri consortem & participem regni & gloriæ cum Domino atque ejus, quæ inde resultat, lætitiæ 2. Tim. 2. vers. 12. Secundo sicut intrare in congregationem Domini dicitur Deut. 23. vers. 1. qui publico officio in Ecclesia fungitur, ac intrare in ovile per ostium Joh. 10. v. 1. qui ad Ecclesiæ militantis consortium vocatur & salutari Messæ cognitione donatur, sic in gaudium Domini intrare dicitur, qui ad Ecclesiæ triumphantis consortium asciscitur. Tertio in gaudium intrare est in summo gradu illud participare, quemadmodum intrare in possessionem bonorum dicitur, qui plenariam eorum hæreditatem percipit. Quarto Autor operis imperf. homil. 53. sic progreditur: Non dixit, intra ad gaudium Domini tui, sed in gaudium Domini tui, ut possessor sis gaudii, non tantum spectator, & jam non quasi minister Domini in gaudio ejus, sed particeps gaudiorum. Quinto significatur hac phrasi gaudium beatorum in vita æterna non fore superficialium, externum & umbratile, sed verum, internum & cordiale gaudium omnes animæ facultates, omnia corporis membra interiùs & exterius plenissimè perfundens, quâ ratione à superficialiis & externis mundi gaudiis longissimè distinguitur. Sexto exprimit hæc phrasis gaudii illius magnitudinem. Non dicitur, quod gaudium Domini debeat intrare in servum, sed quod servus debeat intrare in Domini sui gaudium, tam magnum enim erit illud gaudium, ut non possit in homine concludi vel ab eo comprehendi, ideo homo intrat in illud incomprehensibile gaudium non autem intrat illud in hominem velut ab homine comprehensum. Septimò denotatur simul gaudii illius suavitas. Non dicit dominus servo: Intra in palatium meum aut regiam meam, sed intra in gaudium Domini tui quasi in cubiculum quoddam, in quo suaviter

Dddd

ter

ter quiescas, habitatio tua non tantum erit plena omnis generis lætitiâ, sed erit ipsum gaudium, quia electi gaudebunt supra se de Dei visione, intra se de animæ & corporis glorificatione, circa se de sanctorum Angelorum & omnium beatorum associatione, infra se de inferni evasione, ac proinde quocumq; se vertent, quocumq; respicient, nil nisi gaudii materia occurret, ut merito dixerit Chrysostomus in h. l. *Phrasi istâ, intra in gaudium Domini cui universam monstrari beatitudinem, cum non possit esse major gloria servi.* Octavo, idem etiam fidelis servus dicitur intrare in gaudium Domini sui, quia nunquam in omnem æternitatem eo privabitur, ac proinde hac phrasi simul exprimitur gaudii æternitas. August. tract. 25. in Johan. *Quale est intus illud, unde non exitur foras? magnum penetrabile & dulce secretum, &c. in soliloq. cap. 35. Intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam lætitiâ.* Apud Lucam in simili parabola servo, qui ex decem minis decem alias minas lucratus fuerat, dicitur: *Euge bone serve, in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.* Quidam hoc itidem accommodant ad præmia cœlestia, phrasi non in specie, sed in genere acceptâ. Neque enim sensus est, fore, ut in cœlo homines aut civitatibus, aut ulli officio præficiantur; sed regia potestas & dignitas beatorum in cœlo significatur, quod futuri sint Reges & sacerdotes cum Christo in æternum regnantes Apocal. 1. vers. 6. cap. 2. vers. 26. cap. 20. vers. 6. &c. quia Regum terrenorum consuetudo est benemeritos & fideles ministros civitatum administrationi præficere. Potest etiam illud ad hujus vitæ præmia accommodari, cum pietas (cujus pars non postrema est fidelitas in officio & usu donorum) habeat promissionem præsentis & future vitæ 1. Tim. 4. vers. 8. Sensus igitur erit, quod qui donis Dei recte utuntur, etiam in hac vita donorum augmenta & incrementa accipiant, & ad majora officia promoveantur 1. Tim. 3. v. 13. quod significatur per *ro accipere potestatem super decem civitates* apud Lucam; & post hanc vitam cœlestibus & æternis præmiis ornentur, quod significatur per *ro intrare in gaudium Domini* apud Matthæum. Neve quis ex eo, quod hic servus super multa constituendus dicitur, colligat, partem duntaxat bonorum cœlestium & æternorum beatis distribuenda esse, notandum, quod in simili parabola Matth. 24. vers. 47. Luc. 12. vers. 44. de fideli servo dicatur, *Dominus super omnia, quæ possidet, constituet eum*, ergo electi non tantum partem aliquam, sed totam plenitudinem cœlestium bonorum accipient, *erunt hæredes Dei & coheredes Christi* Rom. 8. vers. 17. erunt confortes beatissimæ & exuberantissimæ omnium bonorum affluentia. Atque hoc καὶ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρους τῆς δόξης excellenter excellentis gloriæ æternam pondus, uti vocat Apostolus 2. Cor. 4. v. 17. gratuiti præmii loco fidelibus servis promissum merito urgetur contra Pontificios, qui ut ex præcedentibus verbis servi, *Eccæ quinque talenta lucratus sum, vires liberi arbitrii in spiritualibus, ita ex his verbis Domini, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, &c. merita bonorum operum colligunt.* Sed utrique collectioni æquale robur inest. Quod enim attinet priorem collectionem; notandum est, hoc loco agi de renatis, quibus jam antè talenta, hoc est, dona Dei sunt concredita, qui-

bus negotientur, ut ipsimet Pontificii agnoscunt, quia per hæc talenta gratiam gratum facientem & gratias gratis datas intelligunt. Jam verò nemo nostrum negat homines per Spiritum Sanctum renatos; qui donum renovationis acceperunt, novis illis à Deo donatis viribus efficaciter operari, ita tamen ut semper maneat illud Apostolicum 1. Cor. 15. vers. 10. *Non ego, sed gratia Dei, quæ mecum est.* Quod posteriorem collectionem attinet, illa repugnat scopo & circumstantiis parabola: Servus super pauca fuit fidelis & tamen super multa, hoc est, super omnia Domini sui bona constituitur. Ergo non est proportio inter laborem & mercedem, sed merces longissimè superat laborem, proinde non datur ex merito, sed ex gratia. Item illi, qui duo tantum talenta fuerat lucratus, æque ac illi, qui quinque talenta lucratus fuerat, dicitur, *super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini cui*, quo significatur, majora fidelibus servis dari præmia, quam promerita sint vel etiam promereri potuerint ipsorum opera, unde etiam Apostolus negat, *passiones hujus vitæ esse dignas æternæ gloriæ* Rom. 8. vers. 18. at si passiones non sunt dignæ, multo minus opera, quia pati majus est, quam agere. Maldonatus excipit, *omne, quod habiturus sumus præmium, fore etiam meritum, ac distinguere debebat inter præmium gratuitum, quod ex dantis largitate descendit & inter præmium meritum, quod propter dignitatem laboris debita mercedis loco datur; præmia, quæ Deus fidelibus servis distribuit, tum in hac, tum in futura vita, non dantur ex merito, sed ex gratia, ac proinde quando fidelitas servorum tam amplis remuneranda dicitur præmiis, non exprimitur causa meritoria illorum præmiorum, sed duntaxat descriptio subjecti, quibus illa præmia sint danda, non autem propter quid sint danda; nec commendatur operum dignitas, sed Domini benignitas in eos, qui ex gratia donis Deirectè fuerunt usi, quæ de re suo loco plenius agitur. Videmus igitur 1. Quamvis opera nostra sint jam antè multis modis Deo data, sint imperfecta ac immunda, Deum tamen ex gratuita misericordia fidelitatem fervorum non solum in hac, sed etiam in futura vita amplissimis præmiis remunerari 2. In die judicii non secundum dona, sed secundum donorum usum, non secundum ea, quæ acceperit, sed quæ lucratus quisque fuerit, unicuique esse reddendum. 3. Omnia, quæ in præsentis vitæ habemus, licet magna videantur & plurima 2. Cor. 4. vers. 7. tamen comparatione futurorum parva esse & pauca, Hieronym. in h. l. Illud Autor imperf. operis d. l. eleganti quadam similitudine declarat: *Si quis, inquit, de magna massa tritici modicam dederit drachmam, aut de magno vase vini modicum dederit gustum: sic de magno thesauro regni cœlestis modicæ nobis per Spiritum Sanctum arba præstatur.* 4. Quando Dominus ad judicium veniet & absconditæ tenebrarum illuminabit, tunc unicuique (piorum) laudem fore à Deo 1. Corinth. 4. vers. 5. quod laudis præconium cum Christus in hac parabola se fidelibus servis daturum polliceatur, ex eo etiam veraciter cogitari posse majorem gloriam, quam in decreto illo die à Christo iudice coram omnibus Angelis & hominibus laudari, quia laus illa non erit verbalis, sed realis cum amplissimis scilicet præmiis*

miis conjuncta. 6. Qui Christum in hac vita confitetur, eum in die iudicii confessione Christi vicissim honoratum iri Matth. 10. v. 32. Qui in hac vita non solum verbis ipsum appellant Dominum, sed etiam sanctis obsequiis testantur, quod pro Domino ipsum agnoscant, illos non tantum verbis bonos & fideles servos vocabit, sed etiam cœlestibus præmiis in ipsos collatis testabitur, quod pro fidelibus servis illos habeat. 7. Si bonus ac fidelis servus censetur, qui bonis Domini restituitur, utique infidelem servum illum esse censendum, qui donis vel non utitur vel abutitur. 8. Beatitudinem cœlestem gaudii nomine rectè exprimi, quia qualis & quanta erit, nil nisi gaudium erit. Electi gaudebunt in Deo beatificati ipsius visione satiari, Deus delectabitur in electis, quos bonorum suorum & gaudii sui in summo gradu fecit participes, sic ergo gaudium erit quasi reciprocum. Gaudebunt etiam electi de aliorum beatorum gaudio. Anshelm. de similit. cap. 71. *Quia quisque sicut se, alterum amabit, ideo sic de illius felicitate, ut de sua gaudebit. O quot igitur & quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot ac tantis beatitudinibus Sanctorum jubiletur? Quod si tantum de aliis, quos ut se diligit, gaudebit, quantum de Deo, quem supra se diligit, exultabit? Gaudium enim ei erit intus & extra, sursum & deorsum, gaudium circumcirca, ubique gaudium plenum. Merito igitur de hoc gaudio exclamat Augustin. in sol. cap. 35. O gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Deum meum, qui habitat in te.*

2. Prodeat verò & alter servus ac negotiationis suæ rationem reddat. De eo sic loquitur parabola: *Accedens autem & qui duo talenta acceperat, ait: Domine, duo talenta mihi tradidisti, ecce alia duo lucratus sum in tuis, hec est, in tuis quomodo etiam quidam Codd. Græci legunt, in eis sive per ea.* Hunc *περοδοποιον* emphaticum Latina versio omisit, sed Græcè & Syriacè additur, cujus emphasin superius exposuimus. *Ait illi Dominus ejus, Euge serve bone & fidelis super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Omnia hæc in præcedentibus sunt exposita, proinde ea duntaxat expendemus, quæ hic occurrunt peculiariter. 1. Eadem sententia pro utroque fertur tum qui quinque talenta, tum qui duo lucratus fuerat, eadem utriusque laus obtingit, eadem beatitudo confertur, cujus rationem Chrysostr. homil. 41. in Genes. hanc exponit, quia augmentationem vel imminutionem lucri non vel hujus negligentia vel illius diligentia fecit, sed concreditorum quantitas. *Quod enim diligentiam attingit, ambo pares fuerunt, proinde & eundem honorem nacti sunt, adeoque eadem pro utroque fertur sententia, quia pro ratione donorum in negotiando & lucrando par fuit industria.* Eandem ferè rationem reddit Hieronymus, sic scribens in h. l. *Paterfamilias & illum, qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, simili recepit gaudium, non considerans lucri magnitudinem, sed studii voluntatem. Quid & quantum lucrerem, non est in nostra manu positum, sed ut in negotiatione terrena, ita vel maximè in hac cœlesti negotiatione unice à Dei benedictione descendit, nostrum verò est, quæcumque & quantacumque do-*

*Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda*

na à Deo accepimus, illis ad Ecclesiæ ædificationem & animarum salutem fideliter uti, & officia vocationis sedulo administrare, interim eventum Deo committere. Nemo proinde animum despondeat, vel in hac spirituali negotiatione remissior fiat, vel à Deo se contemptum iri metuat, multò minus, aliis, qui plura & majora acceperunt, invideat, si pauca dona acceperit, si modicam dispensationem habuerit, si exiguum negotiationis suæ lucrum viderit, modò donis suis gnave utatur, modò munus suum fideliter impleat, modo nihil quicquam, quod ad comparanda lucra spiritualia aliquid facere possit, studio prætermittat, non enim tam perpenditur donorum, quæ accepimus, ac lucris, quod fecimus, quantitas, vel officii, quod gestimus, sublimitas, quam fidelitas in donis exercendis, sedulitas in officio administrando & conatus in lucris acquirendis, quinimò fieri potest, ut plus lucrifaciat & plus præmii accipiat, qui duo solum talenta accepit quam qui quinque, si illius, quam hujus, major fuerit fidelitas, sedulitas, conatus & industria. Notandum enim 2. quod in simili parabola apud Lucam, is qui ex una mina decem alias acquiesciverat, super quinque civitates potestatem accipit; qui vero quinque, is quinque civitatibus præficitur. 2. Quemadmodum igitur ex collatione Matthæi & Lucæ superius ostendimus, pietati non tantum futuræ, sed etiam hujus vitæ promissa esse præmia 1. Tim. 4. v. 8. ita ex eadem collatione apparet, eandem quidem fidelium fervorem fore beatitudinem essentialem, interim tamen præmiorum accidentalium certos fore gradus, ut ex Dan. 12. v. 3. 1. Cor. 15. v. 42. & aliis Scripturæ dictis in tract. de vita æterna §. 120. & seqq. latè demonstravimus. Eucherius homil. in natal. unius Conf. *Quamvis omnes beati erunt, non tamen omnes æquales erunt, quod quidem in eo significatur, quod alii supra decem, alii supra quinque civitates constituti dicuntur.* Ut autem servus ille, qui super quinque civitates constituitur, non invidet illi, qui decem civitatibus præficitur, ac vicissim qui talenta quinque confecerat, & in gaudium Domini intrare jubebatur, non obmurmurat ei, qui tantum duo talenta confecerat atque itidem in gaudium Domini intrare jubebatur: sic ex accidentalium illorum præmiorum diversitate & gradibus gloriæ inter beatos nulla metuenda erit invidia vel inimicitia, sicut in hac vita ex carnis imbecillitate quandoque contingit. August. lib. 22. de civit. Dei cap. 30. *Itud etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus invidet, sicut nunc non invidet Archangelis Angeli ceteri, sic enim habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.* Prosper lib. 1. de vita contempl. cap. 4. *In illa tantæ beatitudinis regione nec majoris meriti aliquid sibi quisque arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit, nec superiori inferior invidet, quia ibi invidus nullus esse poterit, & ideo etsi ibi erit distantia mansionum, summa in illis erit unius perfectionis æqualitas, quibus erit regni cœlestis una felicitas.*

3. Tandem procedat tertius servus, qui unum à domino acceperat talentum, sed in terram illud defoderat, nihil lucris ex eo faciens. Is audiens fideles & industrios servos non solum collaudari, sed etiam præmiis affici, ac metuens, ne ob negotia-

gotationem & lucrum neglectum reprehendetur, ac pœnas tergo lueret, quibus potest modis seipsum excusare conatur. Notanda igitur hic i. *Servi excusatio*, 2. *Excusationis repudiatio*. 1. *Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait, Domine noveram te, quod durus sis homo, metens ubi non seminasti, & inde congregans, ubi non sparsisti, ac territus abii, abscondique talentum tuum in terra, ecce habes quod tuum est.* Ultimo demum loco ad rationes reddendas vocatur, qui male rem gesserat ac proinde pœnis dignus erat. 1. quia hoc congruit rei per parabolam significata. Ut enim paulo post in descriptione processus iudicarii commemoratur, *DEUS* prius dicit electis, *Venite benedicti, esurivi enim & dedistis mihi cibum, quàm reprobis, Discedite à me maledicti, esurivi enim, & non dedistis mihi cibum.* 2. quia proprium Dei est misereri, parcere, prœmia distribuere, alienum autem opus ejus est pœnas & supplicia irrogare, *materiam miserendi ex se sumit, suppliciorum verò ex nobis.* 3. tribuendum etiam hoc malæ conscientie hujus pigri Dromonis, quod malè sibi conscius non prodeat ad rationes reddendas, antequam obtorto quasi collo ad illas trahatur. Quod ergo & ipse dicitur *accessisse*, non est accipiendum eo sensu, quasi pari animi alacritate & fiducia cum prioribus servis accesserit, sed vel hypocriti ipsius tribuendum, quod speraverit, se iustas facti causas reddere posse, vel mandato patrisfamilias, quod invitum ex latibulis protraxerit & rationes reddere jufferit. Eandem in ipso hypocritin arguit. 1. quod excusationem orditur ab honorifica compellatione. *Domine*, inquit. Hæc enim Natura hypocritarum ingeminare *Domine, Domine*, Matth. 7. v. 21. cap. 25. vers. 11. ac Dominum eum vocare, cui nunquam ex sincero corde præstiterunt, vel etiam præstare voluerunt obsequia. 2. subjungit facti sui confessionem, quod talentum à patrefamilias acceptum in terram defoderit. Non recusat rationes dare, sed quasi re bene gesta fatetur, imò gloriatur, quod talentum sibi concreditum diligenter asservans in terra absconderit, ut illud saluum & incolume domino restituere posset. De Achan dicitur Jos. 7. v. 21. quod ex præda Hierichuntis *ducentos siclos argenti & linguam auream quinquaginta siclorum effossa humo in terra absconderit*, ut & occultum & incolumen illum thesaurum asservaret. Huic Achan similis est ille malæ frugis ac fidei servus, qui talentum non quidem furto ablatum, sed à Domino sibi concreditum in terram defodit, ut illud saluum & incolume asservare posset. Quamvis enim bonâ fide illud possidebat, tamen quia ad negotiandum & lucrificandum illud datum erat, idèo lucrum, quod ex eo comparare poterat & debebat Domino suo, furatus rectè dicitur. 3. profert facti sui rationem duplicem. Prior petita est à *Domini severitate*, quâ terrorem sibi incustum asserit. *Noveram te.* Vulgata versio omisit pronomen relativum, sed in Græco & Syriaco exprimitur, nec caret illud emphasi. Probè mihi notus animus, ingenium & mores tui, quod sis homo durus. *Σκληρός* propriè usurpatur de duritie corporum ex ariditate, quæ enim exaruerunt ea durefcere solent, cui opponitur τὸ μαλακὸν molle, & ὑγρὸν laxum. Metaphoricè ad

animi duritiem transfertur, quâ quis claudit sua viscera erga proximum 1. Johan. 3. vers. 17. hoc est, immisericordem & asperum sese erga eum præstat, cui opponitur apud Plutarchum Sympof. 7. τὸ ἐπικέρατον, τὰ σκληρότητα τῶν ἡδῶν inquit, μαλακῶσι καὶ κάμπτοις πρὸς τὸ ἐπικέρατον Aristot. lib. 4. Et hic. cap. 8. eosdem vocat *σκληρὸς καὶ ἀγνὸς*, sicut etiam vox *αὔστηρος*, quâ in simili parabola Lucas utitur cap. 19. v. 21. apud Latinos usurpatur de fevero & tristiore homine, quem comici vocant *ἀγροκῶν, αγρεstem, durum & insuavem*, instar vini *αὔστηρος*, acerbioris. Apud Plautum *homo servus & durus* conjunguntur, apud Ciceronem *homo asperior & durior* moderato & miti opponitur. Rom. 2. v. 5. *σκληρότης* tribuitur imponentibus & contumacibus peccatoribus, quos Stephanus Act. 7. vers. 51. vocat *σκληροσπλαγχνῆς* homines dure cervicis, videlicet propter *σκληροκαρδίαν* ipsorum, ut exponitur Matth. 19. v. 8. Marc. 10. vers. 5. Sed de hac duritie nomen *σκληρός* hoc loco non usurpatur, verum de immiserordia, severitate & crudelitate, in qua significatione usurpatur à LXX. Interpp. Ela. 18. v. 4. ubi *βασιλεὺς Σκληροὶ* vocantur, qui immites sunt erga subditos ac Tyrannicè dominantur. Alibi ponitur pro *ἰσχυρὸς* quo Syrus h. l. utitur, quod significat rigidum ac difficilem hominem, qualis fuit Nabal 1. Sam. 25. vers. 3. Item pro *σκληρὸς* Num. 16. v. 26. quod alibi reddunt per *ἀδύκοι* Exod. 23. v. 1. Job. 16. v. 11. & c. ex quo intelligitur, quod hic, servulus dominum suum injustitiæ & iniquitatis simul accuset, quando eum vocat *σκληρόν*. Idipsum patet ex sequentibus verbis, quibus explicat, in quo duritia domini consistat. *Noveram te*, inquit, *quod sis homo durus, Σκληρὸν metens* sive metere volens (solent enim verba activa apud Hebræos pro conatu & voluntate poni Genes. 37. v. 21. Deut. 16. v. 5. Ezech. 24. v. 13. & c.) *ubi non seminasti*, ubi nec sementem fecisti, nec laborem colendi agri impendisti, & *congregans inde, ubi non sparsisti*, ubi nullos fecisti sumtus. Idem bis exprimitur vulgata Hebræorum phrasi; semen enim dispergendo fertur sive feminando spargitur tempore sementis, ac postea metendo rursus cum sænore & fructu colligitur tempore messis. Videtur autem hæc sententia, proverbialiter fuisse usurpata de hominibus avaris, duris & injustis, qui lucrum quærunt ex eo, in quod nihil sumtuum fecerunt, qui rigidi sunt operarum exactores. in mercede verò ac præmiis parci, qui non solum nihil eorum remittunt, quæ ipsis videntur debita, sed etiam rapiunt aliena. Nam in simili parabola apud Lucam illud sic exprimitur: *Tollis, quod non posuisti, & metis, quod non seminasti.* Summa hæc foret injustitiæ, si quis in alieno agro, quem nec aravit nec sementem in eo fecit, tempore messis fruges velit colligere, vel etiam ab alio posita & ad se nullo jure pertinentia tollere. Sic ergo his verbis piger servus dominum suum accusat injustitiæ, avaritiæ, crudelitatis & tyrannidis, eaque sese deterritum asserit, quò minus talento sibi concredito ad negotiandum uteretur, unde addit; *ac territus abii, abscondique talentum tuum in agro.* Ac ponitur hic illativè pro itaque. Quia te noveram esse durum, avarum & injustum, inde non immeritò timui, ne pœnas luerem, si in negotiatione vel nihil lucrì acquirerem, vel minus, quàm tu desideres, vel etiam

etiam talentum ipsum ex toto vel ex parte perderem, id quod variis modis in negotiationibus contingere solet, satius igitur iudicavi, si sortem ipsam in tuto collocarem ac proinde talentum in terram defoderem, quam si cum periculo fortis lucrum quaererem. Certum fuisse supplicium à duritie tua metuendum, si fors perisset; sed præmium à tua benignitate expectandum, si quid lucri acquisivissem, fuisse incertum. Posterorem facti sui rationem desumit ab æquitate: *Ecce habes quod tuum est.* Syrus reddidit ad verbum: *Est tibi non tuum, q. d. non habes de me ullam conquerendi causam: quod à te accepi, integrum & incolume tibi restituo, nullà sui parte imminutum, æquum igitur est, ut in mea excusatione acquiescas, nec ipso facto testatum reddas, te metere, ubi non seminasti, ac plus repetere, quam dedisti.*

Multis verò modis peccat hic piger servulus: 1. Factum suum defendere, vel certè excusare nititur, cum debuisset potius culpam suam fateri. 2. Eà ratione se excusat, ut dominum præter omne meritum accuset, sicut scelus scelere cumulat, ac sordes sordibus abluit, dum crimen desidiæ cumulat crimine calumniæ. Hieronymus h. l. *Verè quod scriptum est, ad excusandas excusationes in peccatis, etiam huic servo contigit, ut ad pigritiam & negligentiam superbia quoque crimen accederet. Qui enim simpliciter debuit inertiam confiteri & omne patremfamilias, contrario calumniatur & dicit se prudenti fecisse consilio, dum lucra pecunie quaereret, etiam de sorte periclitaretur.* 3. Contra proprium conscientiae testimonium patremfamilias vocat durum, cuius benignitatem & liberalitatem in elargitione talenti satis promtam fuerat expertus. Debuisset potius benignitatem Domini sui extollere, quod inertem & inutilem servum in familiam suam cooptaverat ac integrum talentum ei tradiderat. 4. Utitur translatione culpæ & per fallaciam secundum non causam ut causam Domini severitate à negotiando se deterritum esse asserit, cum nil nisi propria desidia ipsi obtulerit, ut ex responso patrisfamilias colligitur. 5. Calumnia conjungit mendaciam, mentitur enim se domino bonà fide reddere, quod ab ipso acceperat. Atqui potuisset ac debuisset ex talento sibi concredito aliud conficere, quod lucrum unà cum sorte ad herum pertinuisset. Quinam in re per parabolam significata per hunc servulum talentum acceptum in terram defodientem intelligantur, superius fuit expositum, hic explicandum restat, quomodo rei significatæ congruat, quod hic servus dicit: *Domine noveram te, quod sis homo durus, metens ubi non seminasti.* Quidam statuunt hoc membrum esse adjectivum, ac tantum ad parabolæ contextum pertinere, quia verisimile erat, servum negligentem sic responsurum, nullus enim reproborum in die iudicii Christo iudici sic respondere audebit. At quamvis hypocritæ verbis non sint auluri tale quid Christo iudici obvertere, tamen animo & tacitis cogitationibus illud ipsi obvertent, quo sensu paulò post in processu iudicario dicturi introducuntur. *Domine, quando te vidimus esurientem, & non pavimus te.* Hilaris igitur hoc accomodat ad gentes, à quibus *Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda*

Deus iustitiam exigit, cum legem non acceperint. *Totus, inquit, spiritualis hic sermo est. Diximus enim, hunc populum esse de lege, non ignorantem Domini adventum & gentium salutem, sed infidelem, quippe cum sciat merendos illic iustitiæ fructus, ubi lex sata non sit, & colligendos ex gentibus, qui non ex Abrahæ sint stirpe dispersi, & idcirco durus hic homo sit, scilicet sine lege iustificaturus, sine dispersione collecturus & sine satione messurus.* Eodem fere modo exponit Hieronymus: *Ex eo, inquit, quod malus servus ausus est dicere: Metis, ubi non seminasti, & congregas, ubi non sparsisti, intelligimus etiam gentilium & Philosophorum bonam vitam recipere Dominum, & aliter habere eos, qui iustè, aliter què injustè agant, & ad comparationem ejus, qui naturali legi serviat, condemnari eos, qui scriptam legem negligant.* Quidam statuunt, Deum propterea metere, ubi non seminavit, quia ex peccatis, quæ non seminavit, metit fructum penitentia, ex poenis, quas non seminat, fructum patientia &c. Sed cum servus hac in parte calumniam faciat Domino, ideo non est quaerendum, qua ratione hoc in sensu mystico Deo competat. *Dic serve mendax, ait Autor imperf. operis in h. l. quomodo metit Christus, ubi non seminavit? Quis enim hominum est vel gentilium, vel Judæorum, quem non sufficienter spiritualibus & corporalibus sensibus adornavit, cui non dedit scientiam boni & mali, cui non dedit posse fugere malum, & apprehendere bonum, si vult? sicut enim nullus est homo, cui aliquid corporis membrorum minus sit ad usum corporalem: sic non est, cui minus sit aliquid sensus aut potentia ad intelligentiam boni & mali & ad omne opus bonum faciendum quodcumque voluerit (quæ omnia hoc sensu intelligenda sunt, quod Judæis & gentilibus pateat aditus ad Ecclesiam, in qua regenerationis & renovationis ad proferendos iustitiæ fructus reddi possunt participes. ( Si igitur etiam in gentibus seminavit gratiam suam, ex quibus nullus iustitiæ colligitur fructus, quomodo in te metit, quod non seminavit, quem quasi aratro spirituali crucis suæ verbo aravit, quem doctrina iustitiæ seminavit, quem Spiritu Sancto irrigavit? tot semina suscipiens gratiarum vel unum fructum iustitiæ non debuisti offerre? Rectius igitur dicitur, ad falsam de DEO conceptam opinionem hominum & ex ea ortam in studio pietatis desidiæ, quam ad vera Dei attributa in re per parabolam significata respectum haberi. Exprimatur enim in hoc servo à Natura tum impiorum & Epicuræorum, tum simulatorum & hypocritarum; eorum scilicet 1. qui illic timent, ubi non erat timendum Ps. 14. v. 5. Ps. 53. v. 6. qui dicunt ex Esa. 33. v. 14. Quis poterit habitare cum igne devorante, quis habitabit cum incendiis sempiternis? hoc est, qui præpostero & servili timore Deum timent, tanquam morosum Dominum & rigidum exactorem, cui nemo possit grata officia præstare, quem facillimum sit offendere quicquid agas, ac propterea abstinent à servitio Dei & usu donorum, ne Deum offendant & dum conantur alios lucrifacere, se ipsos perdant, donis suis non satis cautè & prudenter utendo. 2. qui recusant docendi officium, ad quod necessariis donis sunt instructi, suscipere vel propter labores vel propter pericula perdendi suas & aliorum animas. Augustinus lib. 2. qq. Evangelic. q. 46. & ex eo Beda in cap. 19. Lucæ: Sunt homines hac sibi perversitate blandientes, ut dicant: Sufficit,*



ut de se unusquisque rationem reddat. *Quid opus est aliis predicare, ut etiam de ipsis peccatum reddere quisque cogatur, &c.* 3. qui semper metuunt, ne nihil vel minus, quàm Deus exigit, lucri faciant ac propterea dona sua in terram defodiunt, hoc est, non exerunt, nec exercent ea, sed otiose apud se aservant. 4. qui calumniam struunt divinæ misericordiæ, Deum tacitis cogitationibus accusantes, quod nimis assiduus sit in exigendis bonorum operum lucris, quòd gravia jubeat & non det vires præstandi, quòd requirat, ut lucrificiamus proximis, quibus tamen non det cor docile & carneum, ut obædiant &c. ac propterea donis à Deo acceptis uti renunt, vel certè in eorum exercitio redduntur remissi. 5. qui dicunt, *selectus sum, salvabor etiam si nihil boni operis fecero, si reprobatum sum, damnabor, etiam si pietatis studium sedulo exercuero.* Quid enim ejusmodi homines aliud agunt, quàm quod re ipsa Deum accusant quasi metat, ubi non seminaverit, hoc est, quasi absoluto quodam decreto citra respectum mediõrum homines vel eligat vel reprobet, salvet vel damnet? quasi salutem illis adjudicaverit, in quibus non habent locum salutis media, ac damnationem illis, in quibus non habent locum damnationis merita? 6. qui operibus ex bona intentione factis & non mandatis in lege Deo servire cupiunt. Paterfamilias non mandaverat, ut hic servulus talentum in terram defoderet, sed ut eo negotiaretur, quicquid ergo hac in re fecit, proprio consilio & privato arbitrio fecit, cui proinde merito dicere potuit paterfamilias: *Quis hoc requisivit de manibus tuis?* Esa. I. v. 12. 7. qui sunt superbi iustitiarum, ac nihil aliud norunt vel nosse cupiunt, quàm legem quæ est exactissima & rigidissima iustitiæ regula, quam se perfectissimè observare & implere posse gloriantur, ut Deo dicere non vereantur. *Ecce habes, quod tuum est, redde mihi quod debes, quia ego feci quæ iussisti.* 8. qui fiduciam ponunt in propria merita ac suam querentes statuere iustitiam iustitiæ Dei, hoc est, iustitiæ Christi in Evangelio revelatæ & per fidem imputandæ non sunt subiecti Rom. 10. v. 3. qui putant ex bonis operibus vitam æternam nasci, sicut ex granis fruges; ac proinde tam præposteri sunt, quàm hic servulus, qui talentum in terram abscondit, ut ex eo lucrum nasceretur. 9. qui prætextu nescio cujus perfectionis eligunt novam vitam genus, in quo Deo capiunt servire, deserunt officia caritatis in vita communi, vivunt sibi solis, nec utuntur donis suis ad Ecclesiæ & proximi ædificationem. 10. qui sibi persuadent, Deum propterea homini dedisse gratiam, ut per eam sibi gloriam ac lucrum acquireret, cum tantum eo fine gratiam homini dederit, ut ipse spirituale lucrum acquireret, & præmiorum temporalium ac æternorum particeps fieret. Horum omnium personam gerit hic piger servus, ex cujus frigida apologia etiam apparet. 1. peccatum unum semper secum trahere alterum, finem unius esse principium alterius in catenâ peccatorum, sicut hic servus pigritiæ jungit calumniam. 2. periculosum esse peccata sua excusare, quia ejusmodi excusationes plerumque includunt Dei accusationem. Autor imperf. operis in h. l. de pigro isthoc servo sic loquitur: *Qui peccatum suum debuerat simpliciter confiteri, ut Dominum, quem malè agendo irritaverat, simpliciter confitendo le-*

niret, è contra non solum non confitetur, sed adhuc excusat. Et dum vult unum peccatum accusare, addit & alia duo. Primum quia peccavit, secundò quia excusat, tertio quia & Domino injuriam facit. Propterea sciens Propheta, quàm mala sit excusatio peccatorum, dicit: *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis cum hominibus operantibus iniquitatem* Psalm. 141. v. 4. 3. hypocritarum proprium esse Deo respondere, de rigore divinæ iustitiæ conqueri, perfectionem & opera supererogationis sibi vindicare & de bonis suis operibus gloriari.

2. Quomodo verò paterfamilias excipit pigri hujus servi excusationem. Respondens autem Dominus ejus, dixit ei: *Male serve & piger, &c.* Trium hoc Domini sermone occurrunt. 1. veram facti causam aperit. 2. falsam per inversionem redarguit. 3. debitam pœnam infligit.

Primò inquit: *Male serve & piger.* Servus facti sui causam videlicet quòd talentum in terram defoderat, retulerat in austeritatem Domini & ex ea ortum apud se terrorem, sed paterfamilias ostendit ipsum committere fallaciam secundum non causam ut causam, dum ipsum vocat *malum & pigrum*, quasi diceret, non mea austeritas, nec terror ex ea ortus, nec studium promovendæ utilitatis mea, quòd prætextis, sed tua malitia & pigritia est vera, hujus absconsonis causa, ideo vocat eum, non meticulosum, sed 1. *προνόον πρᾶν* ac perversum, qui aliis laborem ac molestiam creat suâ improbitate. Apud Æschin. in Ctesiph. opponuntur sibi *προνόος καὶ πρᾶν*, sicut apud Ciceronem *servus frugi & servus nequam*. Syrus reddidit per *πρᾶν* pudenda improbitatis hominem. 2. *ὀκνηρόν* cunctatorem, & *ἰγνᾶν* ab *ὀκνέω* vel *ὀκνέω*, piger me laboris. Vulg. reddidit pigrum, quòd respondet Græco *ἰγνᾶν*. Sic ergo malitiam & pigritiam ipsi tribuit; malitiam tum quia infidelis erat & hero lucrum invadebat, quòd ex sedula talenti tractatione ipsi obtingere poterat, tum quia non veritus fuerat culpam delitiæ suæ impudenter in Dominum transferre, eumque avaritiæ, iustitiæ & crudelitatis accusare. *Pigritiam* verò, tum quia majorem otii, quàm lucri Domino suo acquirendi rationem habens ac laborem negotiandi subterfugiens pecuniam in terram defoderat; tum quia ad rationes reddendas testudineo accedens gradu rationem sine ratione dederat Hieronym. in h. l. *Servus malus appellatur, quia calumniam Domino facit, piger, quia noluit talentum duplicare, ut in altero superbia, in altero negligentia condemnatur. Autor imperf. operis in h. l. Veri nequam, quia largitatem Domini, quasi violentiam excusavit. Beda in cap. 19. Lucæ: *Servus nequam vocatur, quia piger ac deses est ad exercendum negotium, & procax ac superbus ad accusandum Domini iudicium.**

Secundò eleganti inversione utitur: *Sciebas, quòd metat, ubi non seminavi, & congregem illic, ubi non sparsi; oportuit ergo te committere pecuniam meam mensariis, & veniens ego recepissim, utique quòd meum est cum usura.* Pro pecunia in Græco est *ἀργύριον* argentum Hebræis *כסף* quo Syrus hic utitur, in qua voce Hieronym. mysterium quaerit, quamvis rectè moneat *ἀργύριον & argentum* & pecu-

& pecuniam argenteam Græcis significare, ac potest utraque significatio hic habere locum, quia talentum tum de informi tum de monetali argento usurpatur, cujus utriusque usus olim fuit in negotiationibus, *βαλεῖν ἀργύριον* hoc loco est *committere vel ponere pecuniam ad usuram*, sicut Alphius fœnerator apud Flaccum *querit Calendis ponere*. Per τὴν τραπεζίαν quidam intelligunt eos, qui mensulis in publico propositis pecuniam fœnore elocabant, Latinis *argentarii*, quia ex argento negociabantur, & *mensarii*, quia mensis perpetuò affidebant ad numerandas pecunias & rationes subducendas. Sed quia hic non agitur de receptione vel mutatione pecuniæ à mensariis, verum de elocatione pecuniæ aliis facta, ideo per *Trapezitas* rectius intelligitur illud Danistarum, argentariorum ac fœneratorum genus, qui ut pluribus possint fœnerari, ipsimet à pecuniosis mutuò accipiunt pecuniam, quam certo cum lucro conducto die restituant, interim tamen grandius fœnus ab aliis exigunt, quibus itidem mensariorum nomen convenit, cum ipsi quoque ob eandem causam mensis perpetuò affideant. Apud Lucam in simili parabola eodem sensu dicitur, *Cur non dedisti pecuniam meam Ἰη. τῷ τραπεζῆν* apud mensam vel in mensam, cui pulcrè congruit verbum *βαλεῖν*, qui enim pecuniam suam fœneratoribus deferunt, in mensam ipsorum eam projiciunt, id quod Syrus emphaticè h. l. sic expressit: *Opus tibi fuisset, ut projecisses argentum meum super mensam*. Emphaticus etiam est in voce *meam*, q. d. non fuit tua pecunia in peculium tibi data, ut cum ea pro lubitu ageres, sed *mea*, quam tibi quasi seminavi & sparsi ac hoc fine tuæ fidei concedidi, ut, per eam negotiationem exerceres & lucrum acquireres. Debuisse ergo eam dare nummariis, hoc est, si omnino negociandi laborem propter loci incertitudinem & fortis amittendæ periculum voluisses subterfugere, tamen aliâ quadam faciliori & tutiori ratione potuisses uti talento tibi concedito, nimirum tradendo eam nummulariis, qui citra tuum laborem & periculum ex ea lucrum fecissent, & veniens ego ἐκομισάμην recepissem, recuperassem utique quod meum est, si non a te, tamen ab ipsis nummulariis, & quidem non solum fortem, sed etiam usuram, quam fœneratores ejusmodi numerare consueverunt. Non concedit pater familias, veram esse servi accusationem, quod metat, ubi non seminaverit, sed ex hypothese procedit & in versiois artificio utitur, sicut in simili parabola Luc. 16 vers. 22. additur: *Ex ore tuo judico te serve nequam*, hoc est, quod in tui excusationem atulisti illud optimâ ratione in tui accusationem retorquere possum. Si sciebas, metere me, ubi non seminavi, multò magis tibi notum erat, metere me, ubi seminavi. Ego talentum tibi concedidi ad negociandum tanquam semen ad seminandum, quod si ergo ex talento lucrum quaero, quid aliud ago, quam quod metere cupio, ubi seminavi? Auctor imperfecti operis h. l. *Si verè talem servulus hicc scivit dominum suum, eò magis debuit festinare, ut per diligentiam suam avaritiam domini faceret, ut per negligentiam suam injustitiam ejus magis ad incundiam provocaret, quia austeritas non contemnitur, sed timetur*. Gregorius homil. 9. in Evang. *Ex verbis suis piger servus constringitur*, Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars secunda.

cum Dominus dixit, *si meto, ubi non semino &c. ac si aperte dicat. Si juxta tuam sententiam & illud exquirò, quod non dedi, quanto magis à te exigo, quod ad erogandum dedi? Non autem probat Christus hoc parabolæ membro artes usurarias & fœneratorias, quæ cum extremo proximi damno contra caritatis regulam passim exercentur, nam 1. ut superius etiam monuimus, parabolæ ducuntur non solum ab iis, quæ jure fieri possunt ac debent, sed etiam ab iis, quæ communiter fiunt. Tam igitur non probat illicitas usuras, quàm non probat furtum œconomi Luc. 16. vers. 8. 2. loquitur Christus ex more Judaicæ gentis, quæ consueverat externis gentibus fœnerari Deut. 23. vers. 20. 3. Distinguendum igitur inter rem & rei modum. Non probat Christus usurarias artes, quibus pecuniam & facultates suas avari fœneratores augent, sed lucrum & incrementum pecuniæ in rebus spiritualibus nobis imitandum proponit, atque unicè eò spectat, quod thesauro verbi divini & donorum spiritualium nobis concedito in Ecclesia negociari & lucrari debeamus; non probat ergo rem, hoc est, usuram in lege Dei prohibitam Exod. 22. vers. 25. Levit. 25. vers. 35. sed rei modum, hoc est, rationem lucrificandi, quæ in vita communi quotidie conspicitur in pecunia ad exercenda commercia & negotiationes adhibita tanquam omnibus notam, assumit, eamque ad suum propositum applicat, Chrysostomus homil. 41. in Genes. *Vide misericordiam Dei. In his sensibilibus pecuniis prohibuit, ne quis usuram acciperet. Quare & ob quam causam? quia uterque magno damno afficitur. Nam debitor quidem inopiâ atteritur, creditor autem augens divitias etiam peccatorum sibi accumulatur multitudinem. In spiritualibus autem repetiturum se promittit usuras. Quare? quia omnino diverso modo se habet spiritualis usura & sensibilis. Illic enim is, à quo requiritur severiter, subito in extremam inopiam defertur, hic verò, à quo exigitur, quando gratitudinem præ se tulerit, quanto majorem usuram afferret, tanto majori fruetur remuneratione. 4. Quod si omnino concedendum videatur, lucrum aliquod à Domino hic permitti, distinguendum erit inter usuras lege divinâ prohibitâ & inter contractus licitos & justos ad jus gentium pertinentes. Non probat Christus usuram verbo DEI prohibitam, sed eam rationem faciendi lucri, quæ citra proximi damnum suscipitur & cujus moderatrix est charitas, concedit, qualis potest esse in pecunia mutandâ ad negotiationem & commercia exercenda, usuram vocant simpliciter omne lucrum more communi utens, ait Euthymius in h. loc. quo respectu non adeò absurdè Petrus Well Jctus in tractat. de Usur. ad defensionem censuum annorum ex pecuniæ elocatione acceptorum ex hac parabola argumentum format. Quinam verò in sensu mystico per nummularios, quibus pecuniam elocari mandat, intelliguntur, de eo variant Interpretum sententiæ 1. Quidam putant hoc non pertinere ad rem per parabolam significatam, sed illud duntaxat innui, quod dona à DEO accepta quocunque fieri potest modo exercere & lucrum spirituale ex eis facere debeamus, sicut facere solent, qui pecuniam dant nummulariis. 2. Quidam accommodant ad communicationem divinorum eloquiorum cum aliis Ecclesiæ**

Doctoribus, qui vel jam dum tales sunt, vel aliquando tales futuri, quâ communicatione lucrum spirituale augetur. 2. Tim. 2. v. 2. *Ea, quæ à me auditisti per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt etiam alios docere.* 3. Quidam accipiunt de auditoribus, quibus dum sermo Dei explicatur, magis crescit. Hilarius h. l. *Oportuit cum dare nummulariis, hoc est, universo generi hominum, quod seculi negotiis occupetur, usum crediti sibi talenti communicare, Domino reditus ejus a singulis postulatur.* 4. Plerique utramque explanationem conjungunt, ut per nummularios & Doctores & auditores simul intelligant. Orig. h. l. *Debemus mittere pecuniam Domini nostri, hoc est eloquia auditoribus nummulariis, qui omnia tentant & probant, ut bonum quidem dogma & verum teneant, reprobum autem & falsum repellant, ut cum venerit Dominus, eloquia illa, quæ commisimus nos, cum usuris recipiat, & cum additamentis ab eis, qui acceperunt à nobis, &c. Nummulariis ergo viris jubet credere verbum, qui possunt ejus reddere usuras. Reddit autem usuras verbi, qui iterum festinat salvare cum eo, sicut ipse salvatus est. Et hoc est, quod dicit Apostolus: *Quæ auditisti à me, commenda fidelibus hominibus, &c.* Hieronym. in h. l. *Pecunia & argentum predicatio Evangelii est & sermo divinus, qui dari debuit nummulariis & trapezitis, hoc est, vel cæteris Doctoribus, quod fecerunt & Apostoli per singulas provincias, Presbyteros & Episcopos ordinantes, vel cunctis credentibus, qui possunt pecuniam duplicare & cum usuris reddere, ut quicquid sermone didicerant, opere explerent. Eadem repetit Beda h. l. 5. Autor imperfecti operis per nummularios itidem intelligit Ecclesiæ Doctores, sed aliter explicat, quia per servum qui debuerat talentum nummulariis dare, intelligit quosvis Christianos. *Mensa, inquit, est omnis Scriptura divina Pl. 69. v. 23. in qua panis verbi nutriens animas positus est, supra quam omnes Christiani recumbunt & epulantur in Spiritu. Nummularii autem præsertim mensæ, illi sunt Sacerdotes fideles & prudentes, qui cum viderint fidem & actus Christianorum, accipiunt iudicium de Scripturis, quasi de mensa, & ponderant eos & astimant, & intelligunt, si digni sunt Deo, aut non. Et si habent charagma, id est, figuram & imaginem mundi, sunt ipsius & oportet eos abjicere. Huic mensæ qui commiserit fidem suam, quam baptizatus suscepit à Christo, ut in Ecclesia permaneat, Scripturas aut legat aut audiat incessanter ex fide, ut allocutionibus Sacerdotum nunquam fraudetur. Impossibile enim est, ut non multiplicetur fides ipsius. Paulatim enim de die in diem timor Domini generatur, sensus ejus illuminatur, scientia ejus crescit, confirmatur in fide, excitatur ad desiderium regni cælestis, apprehendit cum Zelus antiquorum Sanctorum, quos legit, excitatur & ipse plerumque ad easdem virtutes. Vides quantam usuram facit augmentata fides data ad mensam Scripturarum sanctarum, &c. 6. Hieronym. in Epist. ad Heliodorum sic exponit: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, hoc est, deposuisses ad altare, quod ferre non poteras. Dum enim tu ignavus negotiator denarium teneas, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti.* 7. Quidam per nummularios intelligunt pauperes, quibus pecunia non sine magno fœnore erogatur Prov. 19. v. 17. 8.***

Quia superius monuimus, per talenta quævis dona Dei intelligi, ideo generaliter de quovis donorum usû ad lucrum spirituale directo hoc membrum exponi potest. Chrysostom. homil. 79. *Oportuit te dixisse, admonuisse, consuluisse, hoc est, quacunque fieri potuit ratione donis conceditis uti, proximum docendo, movendo &c. vel conjungendo operam cum aliis, qui majora animarum faciunt lucra, ut vel cooperando vel ministrando fructum aliquem faceres) sed non obtemperant, ais. Nihil hoc quippe ad te pertinet &c. te oportebat creditum facere, exactionem autem mihi relinquere, qui cum usuris creditum ipsum exegissem, hoc est, si vel maxime illi munitis tuis non obtemperassent, tamen talentum tuum impendisses, ego ab eis fructum exegissem. Sensus igitur est, quod quovis modo possibili studere debeamus, ut lucrum spirituale augeamus, sive illud per nos ipsos immediatè sive per alios mediatè sive soli, sive cum aliis faciamus. Nolite quiescere lucrari Christo, quia lucrati estis à Christo, inquit August. tract. 10. in Joh. Apparet autem ex hoc loco 1. Sordidiæ & malitiæ adscribendum esse, quod quidam non utuntur donis sibi divinitus concessis ad spirituale negotiationem, non autem timori, vel si timor quidam hic concurrat, eum esse intempetivum ac præposterum. 2. Hanc sordidiam omnibus infidelibus servis in die iudicii à Christo exprobratum iri. 3. Timendum esse Dominum ob justitiæ rigorem, sed filialiter, non serviliter; ut timori conjungatur fiducia ob misericordiæ divinæ favorem. Bene & salutariter timent, qui timore utuntur ad excutiendam carnis desidiam & fugienda peccata; malè & serviliter timent, qui timore percussit talentum suum abscondunt, ac animum despondent, quò minus spiritualia lucra comparare aggrediantur. 4. Nihil solidi ab illis in die iudicii responderi posse, qui donis suis uti ex desidia recusant, sed quicquid prætexent, contra ipsos retorquendum esse, ut notat Euthymius in h. l. 5. si hypocritæ in conscientia sua convinctur, Deum maxima severitate perfectam totius legis impletionem à nobis requirere, debent aliâ ratione, quàm ex lege salutis sue prospicere, hoc est, ad Mediatorem Christum in Evangelio monstratum confugere, ut sic justitiæ legis in ipsis impleatur Rom. 8. v. 3. Christus fide apprehensus est preciosus ille thesaurus, qui nos Deo commendat, bona opera ex fide facta sunt usura si vel lucrum, quod ex fide velut forte oritur. 6. Magnum Ecclesiæ doctore tanquam divinorum talentorum dispensatori impendit periculum, si argentum divinorum eloquiorum non elocat ad usuram 1. Cor. 9. v. 6. sed non minus auditoribus, si acceptum verbi talentum non reddunt cum fœnore bonorum operum. Beda in cap. 19. Luc. *Qui verbi pecuniam à doctore percipit, emitque credendo, necesse est eam cum usuris solvat operando, ut quod auditu didicit, exequatur & actu.* 3. Paterfamilias non tantum verbis servi pigritiam redarguit, sed etiam pœnam infligit, & eam quidem duplicem, & privatam. *Tollite itaque ab eo talentum & date ei, qui habet decem talenta.* Introducitur paterfamilias alloqui affantes ministros, iisque mandare, ut ab hoc infideli & pigro servo primò tollant talentum, quò in terram defossium otiose apud se afferaverat. *ἀπέψυ* significat *collere* & in alium transferre, utraque significatio huic loco congruit.*

congruit. Ita enim ab ignavo servo talentum tollitur, ut in alterum transferatur. Tertiū igitur huius servi pigrum otium & desidiosa nequitia sic puni-  
tur, ut & vituperationis dedecoretur opprobrio & por-  
tione, quam acceperat, exuatur, ut loquitur Pro-  
sper lib. 2. de vocat. gent. cap. 8. Secundū ut dent  
illud ei, qui habet decem talenta, quorum quin-  
que à Domino acceperat, quinque verò negoti-  
ando ex eis lucrificerat. Quid verò per illud tol-  
lere in sensu mystico significatur? 1. Origenes ex-  
ponit de Doctoribus negligenteribus, quod eis do-  
cendi donum & sufficientia divinitus auferatur.  
2. Hilarius persistit in sua allegoria, quod talentum  
legis auferatur eis, qui non utuntur eo voluptuos  
ac detur illis, qui habent Evangelii talentum. 3.  
Prosper d. l. dignus erat perdere inutilem fidem, qui non  
exercuerat charitatem. 4. Eodem ferè modo Au-  
tor imperf. operis in h. l. Peccator agnoscens Chri-  
stum, habet hanc gratiam, quod cognoscit Christum,  
sed cum venerit in iudicium Christi, dividetur à con-  
sortio cognoscentium Christum & sic tollitur ab eo, quod  
videbatur habere. 5. Simplicissima interpreta-  
tio colligitur ex antithesi. Sicut fidelis servus  
talentis suis alia lucratur, per quæ intelliguntur  
tū augmentum donorum in hac vita, tū præ-  
mia æterna in altera vita: sic piger servus, qui talentum  
in terram dei odit, & in hac & in altera vita do-  
nis Dei privatur. Qui dona à Deo accepta non  
exercent, in illis ea tandem etiam in hac vita obli-  
terantur, quod in donis sanctificantibus semper con-  
tingit, in donis ministrantibus ut plurimum, qui do-  
num renovationis non *ἀνακατασκευάζουσιν*, in eo spiritualis  
ille ignis extinguitur, &c. In iudicio tū particu-  
lari tū universali hypocritæ privabuntur omni-  
bus Dei donis ex gratia ad spirituale lucrum ipsis in  
hac vita concessis, ac si qua Naturæ dona manebunt,  
non ad gaudium vel ornamentum, nec ad uti-  
litatem vel salutem, sed ad pœnam & supplicium.  
ipsis relinquuntur. Sic ratio, sensus, animæ vi-  
res & corporis membra sunt dona Naturæ, quæ in  
damnatis adhuc manebunt, sed eò tantum fine, ut  
infernium cruciatuum supersint instrumenta. Il-  
lud verò difficilius explicari potest, quomodo ta-  
lenta, hoc est, dona Dei infidelibus servis ablata,  
electis & fidelibus sint danda, neque enim gratia,  
quæ ab uno tollitur, alteri datur. Quidam putant  
hoc tantum pertinere ad parabolæ contextum,  
quod inter homines ita fieri consueverit. August.  
lib. de vera relig. cap. 54. applicat ad hanc vitam.  
*Talentum, inquit, quod malè utenti auferitur, illi da-  
tur, qui talentis quinque bene usus est, non quia trans-  
ferri potest acumen intelligentiæ, sed ita significatum  
est, posse hoc amittere negligentes & impios ingeniosos &  
ad eam pervenire diligentes & pios, quamvis ingenio  
tardiores.* Cum qua explicatione ferè con-  
gruit, quod non de novissimo & universali, sed de  
quotidianis & particularibus iudiciis, quæ in hac vi-  
ta exercentur, illud sit accipiendum. Ut enim  
Deus impio Labani terrenas opes abstulit, & in-  
pium ipsius generum Jacobum transfudit Genes. 31.  
v. 9 sic dona gratiæ, quæ ab otiosis & hypocritis  
Deus auferit, fidelibus & industriis donantur non  
eadem numero, sed specie. Sed quia de extremo  
iudicio propriè & principaliter Christus hic loqui-  
tur, ideo addendum, quod etiam tunc dona Dei da-  
mnatis auferenda, electis sint danda. Cumula-

buntur enim omnis generis donis, variis animæ ac  
corporis dotibus, ut omnia damnatorum dona,  
quibus in hac vita ornati fuerunt, in ipsos quasi  
transferri videantur. Dabitur eis donum scientiæ,  
potentiæ, opulentiæ, donum charitatis & pietatis in  
summo gradu, donum roboris & pulchritudinis,  
&c. non quidem ad usum, ut in hac vita, sed in præ-  
mium videlicet ad honorem ac gloriam, ad gau-  
dium & lætitiā. Dionysius Carthusianus addit  
quod ex comparatione negligentis ac desidiosi in-  
damnatis, clariùs tunc elucescet industria & dili-  
gentia electorum ac illorum pœna augebit horum  
felicitatem & gloriam. Psalm. 58. vers. 11. *lætabitur  
justus, cum viderit vindictam.* Quando enim ele-  
cti videbunt damnatorum ignominiam, extol-  
lent divinam benignitatem, à qua ad tantam eve-  
cti sunt gloriam; quando videbunt damnatorum  
supplicium, magis agnoscent divinam gratiam,  
à qua æternum & incomprehensibile sortiti sunt fe-  
licitatis præmium. Colligitur autem ex hoc loco,  
1. Deum se talem erga unumquemque præstare  
qualem quisque in corde suo eum format. Igna-  
vus servus durum & austerum ipsum esse cogitavit,  
durum igitur ac rigidum se erga eum exhibet talentum  
ipsi auferendo, contra verò erga fideles ser-  
vos benevolam & munificam se præstat, talentum  
ultra priora ipsis adhuc addendo. Origenes  
tract. 33. in Matth. *Qui bonum iudicat Deum credens  
indulgentiam accipere, si fuerit conversus ad eum, illi  
bonus est Deus. Qui autem existimat, eum sic bonum,  
ut non curet de peccatis peccantium, illi non est bonus,  
sed austerus.* 2. Deum præter meritum ab hypocritis iniustitiæ & crudelitatis ac-  
cusari. Ut enim parabolicus hic dominus, quem  
piger servus ut durum accusaverat, ipso factò hoc  
convitium refellit, quando erga fideles servos  
se beneficum & liberalem exhibet talentis ta-  
lentum addendo: sic Deus exuberantem suam  
benignitatem tū in hac, tū in altera vita lu-  
cullenter demonstrat dona præmiis cumulando. 3. De-  
um non esse lucrorum nostrorum indigum, nec  
propter se, sed propter nos donorum usum & ani-  
marum lucrum querere, ac quicquid spiritualis lu-  
cri acquirimus, in nostrum commodum cedere. *Da-  
te ei talentum, qui decem talenta habet, inquit pater fa-  
milias. Intelligendum igitur relinquuntur, quod  
fidelis servus obtulerit quidem Domino decem ta-  
lenta, quippe ad quem & sortem & lucrum per-  
tinere rectè iudicabat, interim tamen Dominum  
oblatione illà talentorum contentum, reliquisse,  
ea fideli servo ac insuper aliud talentum eis addi-  
disse. Sic electis in suam utilitatem ac gloriam cedet,  
quicquid spiritualis lucri acquisiverunt, nec sua  
tantum dona retinebunt, sed etiam ob fidelem do-  
norum usum præmiis gratuitis & novis donis à Deo  
ornabuntur.*

Cæterum huius sententiæ adversus malum & pi-  
grum servum pronuntiatiæ rationem Christus af-  
fert ex vulgari quadam parœmia, è vulgatis homi-  
num moribus & communi rerum in hoc mundo  
eventu desumpta. *Habenti enim omni dabitur, &  
abundabit, qui verò non habet, etiam id, quod  
habet, auferetur ab eo.* Quidam Codd. legunt indefini-  
tè τῷ ὑδὲροντὶ omiſſā universalitatis notā παντι, quā  
etiam Latinus & Syrus Interpres omittunt, sed pro-  
batissimi Codd. Græci illam adjectam habent,  
ac fo-

ac solent ejusmodi particulæ in vulgatis proverbiiis exaggerationis causa adjici, sicut etiam in simili parabola Luc. 19. vers. 26. difertè additur. Matth. 13. v. 12. eadem parœmia sic effertur, ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ ubi distributivum ὅστις quicumque æquipollet universali. Per τὸν ἔχοντα in literalī parœmiæ sensu intelliguntur divites, ita enim Græci solent appellare eos, qui multis possessionibus sunt instructi. ὁ δὲ ἔχων ὁ φθὸν ἔπειθ, ait Sophocles in Ajace. Ad divites pergit invidia. ἔχων δὲ περὶ τὸ γ' εὐγενὲς apud Euripidem dicitur: Fac habeas aliquid, hoc est dives sis, hæc enim est nobilitas. In hac significatione nomen ἔχοντων etiam usurpari videtur. 1. Corinth. 11. vers. 22. Confunditis; τὴν μὴ ἔχοντα, hoc est, inopes, quibus nihil est, ut Syrus reddidit. Matth. 19. v. 22. plenius exprimitur phrasī ἢ ἔχων κτήματα πολλὰ, ut & Marc. 10. v. 23. Luc. 18. v. 24. διὰ τὰ κτήματα ἔχοντες. Sensus igitur est: *Omni, qui jam ante habet, ac dives est, dabitur & abundabit, hoc est, ut magis abundet; qui verò non habet, hoc est qui pauperculus est, qui non multum habet, velut Syrus reddidit, cui non est, etiam id, quod habet auferetur ab eo: Quidam Codd. Græci, inter quos & Complutensis, legunt ὁ δοκεῖ ἔχων, quomodo etiam legunt Hilarius, Autor imperf. operis, Hieronym. & alii vulgatam versionem Latinam secuti, quod procul dubio ex textu authentico mutatum, propterea quod absurdum fuit visum auferri alicui id quod non habet & quia Luc. 8. v. 18. eodem modo legitur. Sed probatissimi & antiquissimi Codd. legunt ὁ ἔχει, quæ lectio magis congruit tum ipsi parœmiæ, tum parabola scopo, quomodo etiam Syrus Interpres vertit, qui alias Latinam versionem ut plurimum sequitur. Sensus enim est, in vita communi inter homines sic contingere solere, ut divitibus semper plus detur, pauperibus verò etiam illud, quod exiguum, ipsis adhuc superest, auferatur, sicut Comicus dicit: *Quam iniquè comparatum est, ut hi, qui minus habent, semper aliquid addant ditioribus.* Προδοριμὸς αὐτῶν additur per pleonasmum Hebræis usitatum. Possunt verò duplici modo hæc verba præcedentibus conjungi, velut accipiantur tanquam à Domino parabolico dicta, qui iudicii sui, quo talentum à pigro servo ablatum, ei, qui decem talenta habebat, dari iusserat, æquitatem reliquis servis declaret, vel ut accipiantur tanquam à Christo parabolam recitante, παραφρασίς inserta, quo utroque modo in simili parabola Luc. 19. v. 26. accipi possunt, quamvis ibi in sensu priore magis videantur posita. Cum enim servi astantes minam ab ignavo servo tollere jussi, patrefamilias dicerent, *Domine, jam ante habet decem minas, videtur illis responderi à patrefamilias. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur.* Juxta priorem illum sensum esset hic ellipsis. Subintelligendum namque foret: *Dico enim vobis, quæ verba adduntur Luc. 19. v. 26. ubi tamen nihilominus alia occurrit ellipsis. Subintelligendum enim: At ille respondit.* Sed nihil impedit, quò minus & ibi apud Lucam & hoc loco apud Matthæum ea accipiamus tanquam ipsius Christi verba, cui interpretationi favet, quod Christus etiam alibi hac parœmiã utitur, eandemque ad suum institutum in*

sensu mystico accommodat Matth. 13. v. 12. Marc. 4. v. 25. Cum enim parabolicus dominus dixisset: *Tollite à pigro servo talentum, & date τῷ ἔχοντι decem talenta.* Christus allusione ad participium ἔχοντι factâ inserit vulgatam parœmiã per eandem deducens nos ad rem per parabolam significatam, sicut etiam alteram poenæ pigro servo irrogatæ partem sic recitat, ut ad parabolæ significationem nos remittat. Non probat vel laudat Christus, quod in communi vita sic agatur, ut habentibus detur, non habentibus auferatur, sed recitat vulgare proverbium à communi rerum in hoc mundo eventu petitum, illudque suo instituto accommodat, ostendens in Dei judicio justè sic fieri, quod inter homines parum justè fieri consuevit. Quod si hoc alicui duriusculum videatur, potest salvâ veritate & sine ulla vi textui illata hæc verba tribuere patrefamilias, quâ ratione per ἔχοντα intelligeretur servus fidelis, qui talentis fidei suæ concreditis quinque alia talenta confecerat; per μὴ ἔχοντα servus piger & infidelis, qui talentum in terram defodiens perinde se gesserat, ac si nihil à patrefamilias accepisset, neque quicquam lucri ex ea fecerat. Potest etiam proverbium ad rem præsentem sic accommodari, quod patresfamilias plura & majora officia solent illis servis committere, quos præ aliis gnavos & industriosos sunt experti, pigris verò & infidelibus collatos officii honores derogare. Illud utilius quæritur, quomodo in sensu mystico per parabolam significato habentibus detur, ut abundant; non habentibus auferatur etiam illud, quod habent? Origenes tract. 33. in Matth. sic accommodat: *Fidem habenti, quæ est ex nobis, dabitur gratia fidei, quæ est per Spiritum fidei & abundabit! & quicquid habuerit quis ex naturali creatione, cum exercuerit illud, accipit id ipsum ex gratia Dei, ut abundet & firmiter sit in eo ipso quod habet.* Sed hoc procedit ex eodem principio, ex quo illud, quod in præcedentibus verbis Origenes asserit, Christum metere, non quæ ipse seminavit, sed quæ nos in Spiritu seminavimus, videlicet ex nimia admiratione naturalium liberi arbitrii virium, quæ postea hæresin Pelagianam peperit. Tertull. lib. 4. adv. Marc. cap. 19. non longè à princ. varias expositiones conjungit. *Quid dabitur? adjectio fidei, vel intellectus, vel salus ipsa. Quid auferetur, utique quod dabitur. A quo dabitur & auferetur? Si à creatore auferetur, ab eo & dabitur.* Hilarius can. 27. in Matth. persistit in sua allegoria. *Habentibus usum Evangeliorum etiam legis honor redditur, non habenti autem fidem Christi, etiam id, quod ex lege sibi videbatur honoris, auferitur.* Hieronymus in cap. 25. Matth. primo exponit de donis Naturæ, deinde etiam de donis gratiæ. *Multi, inquit, cum sint sapientes naturaliter, habeant acumen ingenii, si fuerint negligentes & desidia bonum Naturæ corruerint, ad comparationem ejus, qui paululum tardior, labore & industria compensavit, quod minus habuit, per hunc bonum Naturæ & premium, quod eis fuerat repromissum, vident transire ad alios. Potest & sic intelligi: Ei, qui fidem habet & bonam in Domino voluntatem etiam si quid minus in opere ut homo habuerit, dabitur à bono judice. Qui autem fidem non habuerit, etiam ceteras virtutes, quas videbatur naturaliter possidere, perdet. Et eleganter etiam quod vide-*

tur, inquit, habere, auferetur ab eo. *Quicquid enim sine fide Christi est, non debet ei imputari, qui male eo abusus est, sed illi, qui malo etiam servo Naturæ bonum tribuit, quæ posterior explicatio reperitur ab Autore imperf. operis & Beda in h. l. Simplicissima interpretatio colligitur tum ex scopo & contextu præsentis parabolæ, tum ex collatione loci paralleli Matth. 13. vers. 12. Marc. 4. vers. 25. Luc. 8. vers. 8. ubi eadem parœmia à Christo allegatur & ad sensum mysticum applicatur. Dixerat Christus in præcedentibus hujus parabolæ verbis, servum illum, cui talentum à munifico patrefamilias datur, non fuisse otiosum, sed ex quinque talentis à Domino acceptis alia quinque lucri fecisse, sic ergo & forte rectè usus est & lucro insuper ditatus. Per *ὅσον ἐχούτας* igitur in sensu mystico intelliguntur, qui donis à Deo acceptis gnæviter utuntur, ac per salutarem donorum usum augmentum gratiæ & donorum consequuntur: *illis dabitur, ut abundant*, non solum in hac vita, sed etiam in futura vita cœlestibus & æternis à Deo ornabuntur præmiis, in quibus consistit beatissima illa abundantia & affluentia, de qua Christus dicit Johan. 10. vers. 10. *Ego veni, ut oves mee vitam habeant, & abundantius habeant.* Contra verò per *ὅσον μὴ ἐχούτας* intelliguntur, qui non agnoscunt nec exercent dona à Deo sibi concessa, qui tam segniter se gerunt, ac si nihil quicquam à Deo accepissent, qui non utuntur donis Dei ad comparandum ex illis spirituale lucrum, quia scilicet ipsis parva & exigua videntur, qui non habent verum donorum usum & fructum. Illis etiam *auferetur quod habent*, hoc est, dona Dei ab ipsis penitus auferentur vel in hac vita vel certè in futura; desituentur non solum præmiis sedulitati promissis, sed etiam privabuntur donis à Deo sibi commissis. Ad hanc explicationem accommodari potest, quod à non habente dicitur auferendum, *quod videtur habere*. Nam *non habentes*, hoc est, dona Dei non exercentes, sed ita se gerentes ac si nihil haberent vel accepissent, habent quidem dona Dei, sed quia in terram ea defodiunt, neque quicquam spiritualis lucri ex eis comparant, indetantum *videntur* ea habere, sicut avaro tam deesse dicitur, quod habet, quam quod non habet. Chrysol. homil. 79. in Matth. *Qui doctrinæ gratiam ad utilitatem aliorum accipit, nec utitur ea, gratiam quoque ipsam omnino perdit, qui autem studiosè ac sedulo utitur his majorem gratiam ita impetrabit, quemadmodum ille vel quod accepit, amiserit.* Augustin. lib. 2. quæst. Evangel. q. 46. *Significatur his verbis & illum posse amittere munus Dei, qui habens non habet, id est, non utitur: & in eo augeri, qui habens habet, id est, bene utitur &c.* Eadem explicatio colligitur ex locis parallelis Matth. 13. vers. 12. Marc. 4. vers. 25. Luc. 8. v. 28. Ibi enim *habentes* dicuntur, qui prædicationem Christi studiosè audiebant, & verum parabolæ sensum sibi explicari humiliter petebant. Acceperant illi à Deo duplicia dona, Naturæ scilicet & gratiæ. Ex *Natura* ipsis datum erat, quod poterant audire; ex *gratiâ*, quod audirent prædicationem Christi. His Dei donis quoniam reverenter utuntur, & de auditi verbi sensu modeste*

apud Christum inquirunt, datur ipsis insuper ex gratia, ut possint mysteria regni cœlestis nosse, atque hoc augmentum donorum gratiæ sequuntur postea *dona gloriæ*, quibus in vita æterna ex gratuita Dei misericordia ornantur. *Non habentes* ibi dicuntur, qui nec *dona Naturæ* nec *gratiæ* à Deo sibi data agnoscebant, sed auditum à Christo verbum susque deque habebant, discedentes ab ipso nec de vero parabolæ sensu inquirentes. Illis etiam *ablatum est, quod habebant, vel habere videbantur*, hoc est, non solum non consecuti sunt augmentum donorum, gratiæ, nec *dona gloriæ*, sed etiam amiserunt *dona* à Deo prius accepta, privati sunt qualicunque cognitione verbi, quæ ipsis data erat. Quidam existimant diverso fine eandem parœmiam Matth. 13. vers. 12. & hoc loco adduci. Ibi enim agi de iis, qui sibi per superbiam arrogant, quod non habent, quæ superbiâ offensus omnium donorum autor, paucula etiam, quæ ipsis largitus erat, eis eripit, contra verò iis, qui in timore Domini ambulant cum omni modestia, & in eo toti sunt, ut gloriæ Dei pro suo modulo serviant, magis magisque beneficium sese exhibere; hic autem agi de pigris & desidiis, apud quos *dona Dei* inutilia jacent. Sed concinnius est, eodem sensu utrobique unam & eandem parœmiam accipere, cum non possit esse dubium, Christum in hac de talentis parabolâ voluisse simul explicare, quo sensu hanc parœmiam Matth. 13. vers. 12. protulerit. Nostrium verò est, donorum largitori pro donis nobis concessis humilimas gratias agere, iisdemq; ad divini nominis gloriæ & Ecclesiæ salutem fideliter uti, quæcunque tandem ea sint, sive *dona Naturæ*, sive *gratiæ*, sive *sanctificantiâ*, sive *ministrantiâ*, sive *propria*, sive *communis*. Qui enim donis studiosè utitur, donorum augmentum accipit; qui otiosè ea apud se retinet, amittit. Sicut pecunia corporalis usu augetur & crescit; otiosè in terram defossa æruginem contrahit, sic spiritualia divinorum donorum talenta usu crescunt, ut gratiâ subinde pariat gratiam, sed in terram defossa nec possessoribus nec aliis usui sunt & tandem corrumpuntur.

2. Neque verò *privativâ* tantum pœnâ piger servulus afficitur, sed etiam *positivâ*. *ὁ μὲν γὰρ τὸ πῶς ἢ ζημία τῷ ἀργύρῳ, ἀλλὰ καὶ ἀφόρετος ἡ κολάσις καὶ μετὰ τῆς κολάσεως ἡ ἀπόφασις πολλῆς γέμεσα τῆς κατηγορίας*, inquit Chrysolomus in h. l. Postquam enim ratio *privativæ* pœnæ vulgatam parœmiam quasi *παρενθετικῶς* fuit inserta, redit paterfamilias ad perficiendam adversus pigrum servum sententiam: *Tollite*, inquit, *ab eo talentum, & date ei, qui decem talenta habet.* Et servum inutilem *ejcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.* Non contentus est talenti ablatione ac servi denudatione, sed etiam ob neglectum officium & calumniam pigritiæ additam supplicio eum adjudicat. *ἀργύριον* ipsum vocat, quia nulli fuerat usui, cum ex talento sibi commissio nihil lucri acquisiverit. Apud Hesiodum *ἀχρηστὸς ἀνὴρ* vocatur, qui nec per se sapit, nec alios recta monentes audit, quem appellat *ἐτώσιον ἀχρηστὸς ἀργύρης*, talis etiam erat hic piger servus, qui nec patrisfamilias mandato, nec fidelium con-

servorum.

servorum exemplo permoveri potuit, ut ex talento suo lucrum faceret vel certe facere conaretur. Ut autem in verbis præcedentibus, non habenti auferetur, quod habet, continetur ratio *pæne privativa*, ita in voce ἀργύριον exponi videtur ratio *pæne positiva*, quod ideo supplicio afficiatur, quia inutilis fuerit & lucrum Domini quærere neglexerit. Pignori exiſtimat pœnam illam ſervo inutili irrogatam pertinere ad parabolam, ut ſit ſenſus ἐκβάλλετε ἐξ αὐτοῦ ἰγνᾶν & inutilem hunc ſervum ἐξ οἴκου μου & ἐξ οἴκου fidelium ſervorum, ac *ablegate eum in tenebras exteriores*, id eſt, in carcerem tenebriſſimum extra regiam meam pro ejuſmodi inutilibus ſervis conſtructum, ut ſic tenebræ exteriores opponantur copioſe tædarum, lychnorum ac lampadum lumini, quo cœnaculum regium illuſtrabatur, in quod intrare juſſi erant fideles ſervi & convivio opiparè inſtructo in eo intereſſe. Illic erit ſectus & ſtridor dentium, id eſt, pro gaudio Domini, quod cum fidelibus ſervis commune habere potuiſſet, ſed culpâ ſuâ eodem ſeipſum privavit, cruciabitur ſletu & ſtridore dentium. Excluſum è domo regia ac vel manentem ſub dio in tenebris vel in carcerem tenebriſſimum concluſum, ignominiam ſuam recogitantem ibique perpetuò manentem, quid aliud manere poterat, quam ſectus ex animi dolore, & ſtridor dentium ex corporis horrore à frigore aëris oborto? (Sed rectius ſtatuitur, Chriſtum in deſcriptione hujus pœnæ declinare ad rem per parabolam ſignificatam, cum hæc ſit uſitata & frequens Chriſto infernalium cruciatuum deſcriptio Matth. 8. verſ. 12. cap. 13. verſ. 42. & 50. cap. 22. verſ. 13. cap. 24. verſ. 5. Luc. 13. verſ. 28. quam ſuperius in cap. 153. latè expoſuimus. Senſus igitur eſt, quod reprobi per inutilem illum ſervum præfigurati privandi ſint omni conſolatione, omni gaudio, beatificâ Dei viſione, Angelorum & beatorum conſociatione, &c. quam privationem inexplicabiles animarum & corporum cruciatus ſint ſecuturi. Quicquid enim myſticarum tenebrarum nomine in Scripturis venit, illud in damnatis aliquando locum habebit, ut in cap. proximè citato demonſtravimus. Probè verò circa hanc inutilis ſervi pœnam notandum, quod non agatur de ejuſmodi ſervo, qui talentum Domini ſui potando, luxuriando, ſcortando, comeſſando, &c. abſuſerit, de quo in alia parabola Matth. 24. verſ. 48. fuit actum, ſed de tali ſervo qui ex deſidia & ſomnolentia lucrum facere neglexerat, propter quod peccatum omiſſionis eâdem pœnâ afficitur cum ſervo luxurioſo, qui propter peccata commiſſionis in tenebras exteriores ejiçitur Matt. 24. verſ. 50. ex quo intelligendum relinquitur, non illos ſolùm in die judicii infernalibus cruciatibus adju dicandos eſſe, qui donis Dei turpiter abuſi ſed etiam qui donis Dei non ſunt uſi ad divini nominis gloriam & promovendam ſuam ac proximorum ſalutem. Chryſoſt. ſerm. 6. de Sacerdot. Non profuit ſervo illi ignavo, quod non imminuit talentum, ſed hoc cum perdidit, quod non reddidit acceſſione aliqua auctum. Ratio hujus judicii exponitur à Chriſto Matth. 7. verſ. 17. & 19. Johan. 15. verſ. 2. quòd non ſolùm illa ſit mala arbor & in ignem conjicienda, quæ malos, ſed etiam

quæ nullos fructus profert, cum quo congruit illud Johannis Baptiſtæ Matth. 3. verſ. 10. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittitur. Autor imperfecti operis homil. 53. judicii hujus adverſus pigros ſervos prolati æquitatem declarat pulcherrimâ ſimilitudine. Sicut qui ſeminandi cauſâ accipiens ſemen, tempore ſeminationis non ſeminaverit, damnum facit domino ſuo, eſi non perdidit ſemen, eſt tamen tantum damnum, quantum poterat lucrum facere, ſi oportuno tempore ſeminaviſſet, ſic qui accipit fidem Chriſti & in hoc ſeculo ſeminationis non fuerit operatus juſtitiam, eſi fidem ſuam non perdidit, ſamen tantum videtur peccaſſe, quantum poſſuit juſtitiam facere, ſi non neglexiſſet. Facili autem negotio ex hac pœna ſervi otioſi colligi poteſt, longe graviore pœnas manere eos, qui non ſolum donis Dei non fuere uſi, ſed etiam nefariè ac turpiter eis abuſi, argumentando à minore ad majus. Si in tenebras exteriores mittendi ac ſletu & ſtridore dentium cruciandi ſunt, qui talenta, hoc eſt, dona ſibi concredita otioſè in terram abſconderunt, quantò graviora ſupplicia manebunt eos, qui dona ſua crapulâ & libidinibus conſumerunt, ut nec ſibi ipſis nec Reipublicæ nec Eccleſiæ uſui eſſe poſſint, qui donis Dei contra Deum & in proximi perniciem ſunt uſi, qui potentiam ſuâ ad oppugnandam Eccleſiam, peritiâ Scripturarum ad fucandas hæreſes, opulentiâ ſuâ ad luxum & factum abuſi, &c. Neque enim omnia ſervorum reprobatorum genera in hac parabola exprimuntur, ſed illud ſolùm, quod videri poterat excuſationem quandam habere, ut, quid de reliquis majori culpæ obnoxiiſtatuendum ſit, intelligendum relinquitur. Silerur de illis, ait Ambroſius in cap. 19. Luc. qui quaſi prodigi debitores, quæ acceperant, perdidit. Hac collectione utuntur etiam pii veteres. Auguſtinus in Pſalm. 38. Punitur ſervus non everſor ad perdendum, ſed piger ad ro gandum. Quid expectare debent, qui cum luxuria conſuſerunt, ſi damnantur, qui cum pigritia ſervarunt? Autor operis imperf. d. l. Si in tenebras exteriores mittuntur, qui accepto verbo fidei, carnaliter vivendo; fructum juſtitie non fecerunt, putat in quales tenebras ſunt ituri, qui ipſum talentum fidei ſue peccando perdidit? Denique ſi tam graviter punitur, qui unicum duntaxat talentum in terram deſodit, quantò gravius in die judicii punientur, qui plura talenta, id eſt, majora dona à Deo acceperunt, nec tamen ad ſpirituale lucrum illis uti voluerunt? Perpetuò igitur auribus & cordibus noſtris inſonet mandatum Chriſti: *Negotiamini, donec veniam.* Luc. 19. v. 13. ac quilibet noſtrum ad eum, qui hoc mandatum in cœlum aſcendens nobis reliquit, quotidie ſuſpiret.

*Multi talenta aliis, mihi drachmula contigit una,  
Hanc ut ritè locem, da, bone Chriſte precor,*

CAP.

## CAPUT CLXV.

CHRISTUS ACTUM IPSUM ET PROCESSUM  
EXTREMI JUDICII APOSTOLIS DESCRIBIT.

MATTH. 25. v. 31. LUC. 21. v. 37.

## RATIO ORDINIS.

**M**agna omnino Evangelistæ Matthæo hoc nomine debetur gratia, quod non solum prolixam illam concionem, quam Christus in monte quodam Galilææ in principio Ministerii sui habuit (ac verum legis divinæ sensum in ea discipulis & reliquis auditoribus suis exposuit) Matth. 5. 6. & 7. sed etiam sermonem æquè prolixum, quem Christus in monte oliveti in fine Ministerii sui instituit, ac de novissimo suo adventu & extremo judicio, (in quo legis divinæ executio fiet) eosdem in eo sufficientissimè instruxit Matth. 24. & 25. ex professo annotare, & uberius, quàm à reliquis Evangelistis factum, describere voluerit. In hoc posteriore sermone restat ultima pericope, in qua egregia ipsius actus & processus judiciarii die novissimo die instituendi *ἡ συνουσία* continetur. Postquam enim Christus quatuor distinctis parabolis Apostolos docuerat, quomodo ad novissimum suum adventum, cujus occasione quæstionis ab Apostolis de excidio Hierosolymæ & consummatione seculi motæ, mentionem fecerat Matth. 24. v. 3. 27. 30. 39. 42. & 44. Itemque ad extremum judicium novissimo isti adventui immediatè conjunctum cap 25. v. 10. sese præparare debeant, videlicet quod exemplo *patrisfamilias* irruptionem furis nocturnam metuendis debeant esse *vigiles* Matt. 24. v. 43. exemplo *æconomi* super familiam Domini sui constituti, ut det illis cibum justo tempore, *fideles*, v. 45. exemplo *virginum* oleo ad lampadum lumen sufficiente instructarum, *prudentes*. Matt. 25. vers. 4. exemplo *servorum* acceptis à Domino talentis negotiantium & lucrantium, *fructuosi & utiles* v. 2. & 23. jam tandem coronidis loco sine parabolæ involucri novissimi sui adventus qualitatem & extremi illius judicii formam ac processum verbis claris & perspicuis ob oculos ipsis ponit, quæ descriptio perquam graphica emphatica eundem cum præcedentibus parabolis scopum obtinet, videlicet quod fidem per caritatis opera exercere & eâ ratione itidem ad universale illud judicium sese præparare debeant. 2. Petr. 3. v. 14. Sanè quibusdam videtur, etiam hanc pericopen ultimam, parabolarum classi esse accensendam, parabolicum enim est 1. quod se vocat *Regem* in throno gloriæ sedentem & *Pastorem* gregem suum dividentem. 2. quod pios comparat *ovibus*, impios verò *hædis*. 3. quod illos *ad dextram*, hos vero *ad sinistram* collocandos esse asserit. 4. quod & pii & impii sententiæ judiciariæ exceptionem quandam dicuntur opposituri. 5. quod exceptioni illi judex dicitur responsurus. Accedit, quod cum prioribus parabolis nexu immediato con-

jungatur, ac proinde à Gregorio Nazianzeno in carmine de parabolis Matthæi & in carmine de quatuor parabolis Evangelistarum in parabolarum censum referatur, sic enim inter cætera loquitur. *Committit Christus servis non æquis talenta, Levâ hædi, dextra parte locantur oves.* Quibus omnibus Auctor imperf. operis & Lyranus permoti videntur, ut hanc quoque concionis partem *parabolam* vocarent. Sed rectius dicitur, non parabolam, sed veram rei aliquando gerendæ Historiam, luculentam scilicet extremi judicii descriptionem, in his verbis nobis proponi. Quamvis enim *aliquid parabolicum* vel potius similitudinarium eidem sit intermixtum, ex eo tamen evinci nequit, quod hæc tota concio sit parabolica, sed est illustris hypotyposis & quasi profopopæia quædam, in qua Christus ipsum novissimi sui adventus & extremi judicii actum veluti humanis quibusdam coloribus per *συγκατάθεσιν* ad captum nostrum se accommodando depingit. Chryostomus homil. 80. in Matth. *Non dicit, simile est regnum celorum, sed seipsum ostendens atque revelans dicit. Cum venerit filius hominis &c.* In ordinis serie etiam quædam occurrit diversitas. Quidam enim hanc pericopen conjungunt cum verbis illis Christi, in quibus novissimi adventus sui mentionem facit. Matth. 24. vers. 30. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute & gloria multa.* Marc. 13. vers. 26. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate multa & gloria.* Luc. 21. vers. 27. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate & gloria magna.* Quâ ratione hæc pericope informationi, quomodo discipuli ad illum adventum sese præparare debeant, ac parabolis ad informationem illam spectantibus præmitteretur. Quamvis verò hic ordo satis concinnus videatur, cum id ipsum, quod Christus ibidem brevibus completitur, dicens, *filium hominis venturum in nubibus cæli cum virtute & gloria multa, & Angelos congregaturos esse electos à quatuor mundi partibus &c.* in hac pericope latius explicetur, quod scilicet *filius hominis* sessurus sit super thronum gloriæ suæ, quodque ante ipsum ministerio Angelorum congregandæ sint omnes gentes, moxque iterum in duas classes segregandæ, earum una ad dextram, alterâ ad sinistram collocata, ut finalem & decisivam judicis sententiam utraq; audiant &c. nullâ tamen necessitate cogimur, ab ordine, quem Matthæus observat, hic discedere. Commodè enim statui potest, quod Christus post seriam & maximopere necessariam exhortationem ad vigilantiam velut post prolixam quandam digressionem, jam redeat

Eccc

ad ube-

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda.